





Ja de Larpier sc.

QUÆSTIONES
THEOLOGICÆ

IN SECUNDAM SECUNDÆ DIVI THOMÆ,

De Jure, & Justitia,

sub AUSPICIIS

CELSISSIMI, ET REVEREN-
DISSIMI S. R. I. PRINCIPIS, AC
conventus DOMINI, DOMINI *libinientis*

JOANNIS
J. Min. ERNESTI, *refr. 1744.*
ARCHI-EPISCOPI SALIS-
BURGENSIS, S. SEDIS APOSTOLICÆ
LEGATI NATI, GERMANIÆ PRI-
~~to~~ Matis, &c. *Yannen*.

In Alma, ac Celeberrima Univer-
sitate Græcensi, Anno M. DC. XCL.
Mense Augusto, Die 27. cum reliquis ex Uni-
versa Theol. Conclusionibus propugnatæ,
DEFENDENTE

R. P. MARIANO LENDLMAYR, Ord. S.
Benedicti, in celeberrimo Monasterio Ad Montes Pro-
fesso, AA. LL. & Philos. Magistro, SS. Theologie
in quartum annum Auditore,

PRÆSIDENTE

R. P. FERDINANDO KRIMER,
è Soc. JESU, SS. Theol. Doctore, ejusdemq;
Professore Ordinario; & Inclytæ Facultatis Theo-
logicæ Ricano Spectabili

GRÆCII, Apud Heredes Widmanstadij.



435



CELSISSIME, AC REVERENDISSIME

PRINCEPS,
DOMINE, DOMINE
CLEMENTISSIME, &c.

Ave Gratiis Tuis, PRINCEPS Celsissime, Domine, Domine Ordinarie Clementissime, &c. & gratanter patere, ut hac Theologica erotemata ad aeternaturae Gloriae Tuae suspendam anathema: ut deponam ad sacros pedes Tuos literariorum hoc munus, quod nullò alterius nomine, & Numine melius, & dignius, quam Tu gloriabitur. Sienim Poëtā canente

Hoc unō Reges olim sunt sine creati,
Dicere Jus populis, injustaque tollere facta,
Quis non omnes Iustitiae Titulos Tuae adscribat Celsitudini, dum inter primas curas,

DEDICATIO.

& cunas Ius dicere, aequum tueri, Principem
Te præsigre capisti, nunquam non assuetus da-
re cuique suum, adeo, ut in hanc usq[ue] lucem
æquitatis Tuæ splendore sustentes Patriam,
subditos recrees, immortalemq[ue] famam Tuam
seræ transcribas posteritati ad solis ipsius invi-
diam laudabilissimam, qui, sicut omnibus æ-
quis, ita & Tu Iustitiae Tuæ radios æqualiter
dispensas in omnes: quibus dum subditorum
oculos perstringis, neminem non Tibi obstrin-
gis. Et hic quidem æquitatis Titulus est, ut
C E L S I S S I M O N O M I N I Tuo istæ de
Iustitia & Iure Theses æquissimo jure inscri-
berentur. Alter summae gratitudinis est,
& subjectionis erga Te aliquod velut tri-
butum, quo Admontensis Ecclesia nostra
cum semper jam à sex, & ultra sacerulis In-
vaviensi Sedi Tuæ, tum in præsenti Tuæ
C E L S I S S I M Æ P E R S O N Æ, utpote
C L E M E N T I S S I M O D O M I N O,
D O M I N O O R D I N A R I O N O S T R O
arctissimam suam necessitudinem profitetur.
Nam si ad prima Admontensis Asceterii
nostræ incunabula, & teneram velut infan-
tianæ oculò reflectente aspiciam, non aliam

DEDICATIO.

Matrem agnoscimus, quam Sedem Tuam: non alterius quam Principum Salisburgensium Gratia nutriti sumus: & crevimus, & adolevimus, hodieq; adhuc stamus in viride firmante semper nos, & iuvante inter varias tempestates Iuvavio. Neq; enim in oblivionem abire pati nur immensam illam, dulcemque Iuvaviensem Archi-præsulum in nos Beneficentiam: atq; illam imprimis B. Gebhardi Fundatoris nostri, qui post sanctam triduanam carenam, & fusam multam ad caelos precem inter hæc Montium tesqua fundamentelem Domus Dei lapidem feliciter jecit, & quasi alter Iacob capiti suo supposuit, super quo & usq; in hodiernum diem sancte in Domino indormit. Post Gebhardum B. Thiemo Archiepiscopus iterum Admontensium ingens Amator non aliud afflictis sui sæculi rebus perfugium tutius elegit, quam ut inter Montium nostrorum latebras suos hostes lateret, donec cum B. memoriae Gisilberto, nostrò secundo Abate, in terram sanctam profectus, illic uterq; gloriose perfunctus Martyrio Vicitima Christo caderet. Quid deinde Conradi I. Archiantistitis profusam in nos Benefi-

DEDICATIO.

centiam memorem? qui grassante in eis Regnum
& sacerdotium fædo schismate cœrutam Escl-
siam nostram post minimio magnificè restaura-
vit, ipse dedicavit, & amplissimè dotavit. Nec
cum Conrado expirante expiravit ingens luva-
viensium Präfulum in nos Amor, quando Eber-
hardus secundus denuò suos Admontenses fove-
re cepit; qui postquam ad Eugenium III. Pa-
pam pro Archiepiscopali pallio Venerabilem Ab-
batem nostrum Godefridum ablegâsse, eun-
dem dehinc cum suis verè sub pallium suum re-
cepit, pluribusq; Donationibus, novisq; fun-
dationibus auxit. In immensum hic abirem,
& fastidiosus fierem, si & aliorum postea sibi
succedentium Principum continuatam in nos
Munificentiam, Curam, Protectionem, col-
lata privilegia, & concessas Gratias enarrare
vellem. Adeo Montes nostri menses & pecto-
ra Salisburgensium Hierarcharum semper sua-
vissime occupârunt, ut illis etiam in deliciis
esset, & volupe, sacrō Palliō suō aut vestire,
aut venustare præ aliis pluribus Ecclesiæ su-
am Admontensem. Horum virtutis uti &
Sedis, & Glorie Tu Dignissimus hodie Hæres
PRINCEPS CELSISSIME, Domi-

DEDICATIO.

me, Domine Ordinarie Clementissime, etiam
num Admontenses tuos Clementissimò oca-
lò dignaris, fovesq; in Gratiis. Nos quoq; cu-
garum pars non postrema Tuarum sumus, im-
& Amorum, ut qui nos ante alteram hyemem
in re maxime anticipi, difficiliq; d Cessissimum
fenum Tuum accedentes Clementissimè accepi-
sti, & velut Pater (da veniam confidentie) in
suavissimo gremio conforisti. Major est Comi-
tas Tua, quam ut illam præsens pagell mo-
dicos intra suos margines circumscribat: id so-
lum agimus, ut alius etiam omnibus fiat no-
rum, eest tumq;, quantum cupiamus aliquale
signo ad placitum Tuum Clementissimum i e-
votionem erga Te nostram demonstrare. Nec
dubitare nos patitur nata Tecum, & nota e-
nnibus Clementia Tua, quin dignaberis no-
stram hanc Tui Venerationem in Gratiis acce-
pti re. Divina Bonitas porrò TE PRIN-
CEPS CELSSIME, Domine, Do-
mine Ordinarie Clementissime, nobis omni-
bus, eis publico Rei Ecclesiastice Bono servet in-
eolumem, id quod in Amplissima Tua Archidi-
acestum Universa Tibi subiecta Ecclesia à Deo
optimo Maximo precantur, tum specialiter Ad-

mon-

DEDICATIO.

montensis nostra familia, cuius nomine CEL-
SITUDINI Tuæ submississimam reverentiam
facio, & sacra vestis fimbriam exoscular, Tuâ
Gratiosissimâ licentiâ, ac meorum Superiorum
nutu has Theses humillimè ad sacram lance-
am Tuam deponens, Tuaquæ sub Clementis-
sima Gratia defendens

Humilissimus & devotissimus Cliens

P: MARIANUS LENDELMAYR,
Professus Admontensis,



QUÆSTIO I. De jure activo, & passivo.

A Gimis de jure proprietatis, quod est objectum justitiae commutativæ. Hinc prætermissâ multiplici juris acceptione, in præsens exponemus duntaxat. 1. quid veniat nomine juris activè sumpti, secundum quod constituit dominium, vel perfectum, vel imperfectum? 2. an bene restringatur ad potestatē licite non impedibilem? 3. an ad solos actus lege permisso? 4. in quo jus passivum, seu justitiae, differat à debito aliarum virtutum, quæ sunt ad alterum?

ARTICULUS I.

Jus activè sumptum, est facultas legitima, directe, & formaliter percipiendi commodum libertatis propriæ, ex usu alicujus rei.

I. **H**anc juris activi explicationem insinuat re videtur P. Ant. Perez de Incarnat. tr. 5. D. 6. c. 2. n. 17. Probari potest. 1. terminorū expositione, & contrariorum solutione. 2. quia

facultas utendi re, *ut suâ*, essentialiter est jus proprietatis (sic enim essentialiter includit *sui-
zatem*, quæ formaliter est jus proprietatis) sed hoc habet illa facultas à nobis exposita. Nam facultas utendi re *ut suâ*, non aliud est, quam authoritas legitima, convertendi rem in commodum sui beneplaciti; quia secundùm omnes, jus activè sumptum explicat legitimam facultatem percipiendi commodum, ex usu rei jure debitæ. Facultas enim, quæ est præcisè *ad incommodum*, vel *non commodum*, seclusâ quæst. de voce, immerito, & contra communem hominum sensum, jus dicitur.

2. Jus igitur 1. dicitur *facultas*, nimirū potestas aliquid faciendi, vel omittendi. 2. *facultas legitima*, cui scilicet lex aliqua, vel legitimum actum autoritatem investit; sive lex illa sit naturalis, sive positiva, divina, vel humana; sive præcipiens, sive permittens. Nam facultas illegitima (carens nimirū omni lege, vel pacto, illam firmante) non est jus, seu potestas juridica; sed impotentia potius, & violenta Tyrannis.

3. Notandum autem, quòd dupliciter lex alicui constituere possit facultatem aliquid faciendi, vel omittendi, 1. faciendi vel omittendi aliquem actum, *cura legem prohibentem ejusmodi actum, vel omissionem*. Certum est enim, quòd multa sint jure valida, sed illicita; multa jure invalida, sed licita. Ex hoc autem sequitur, *jus a-*
li-

liud esse, agendi præcisè valide (lege nimirū constitutivâ juris tribuente solummodo valorem actus , non tamen immunitatem à culpa) aliud agendi valide, & licite, lege constitutivâ juris non solum excludente quamvis aliam legem annulatricam actus , sed etiam prohibitivam , qui est alter modus constituendi alicui facultatem.

4. Dicitur 3. facultas percipiendi *commodum libertatis* , nam lex alicui concedens facultatem utendi re quapiam , illam subjicit ejus arbitrio , quoad usum lege , juris constitutivâ , permisum . Quidquid autem ita subjicitur , directè respicit commodum libertatis . Nam sicut id , quod in usu alicujus rei libertatem impedit , est ejus incommodum ; sic ejusdem erit commodum , quidquid eam expedit .

Ex hoc colliges , jus ut sic , seu in genere acceptum , essentialiter salvari sine omni entitativo commodo ex usu rei subjectæ juri . Quid enim entitativi commodi ex facto suo percipit rei dominus , cùm ex arbitrio , & præcisè , quia sibi sic placet , illam comburit , vel destruit ? & tamen agit ut rei dominus . Hinc in Deo stat perfectissimum dominium omnium creaturarum , quamvis illæ entitativè supponantur infrugiferæ , & inutiles Deo ; quia satis est , quod illi serviant in commodum libertatis divinæ . Dixi , *jus ut sic* ; nam jus ad certam speciem contractum , dici potest relate ad commodum entita-

tivum, quod plerumque querunt homines

5. Dicitur 4. Facultas percipiendi commo-
dum libertatis proprie. Nam *jus proprietatis*, &
jus jurisdictionis gubernativa differunt essentiali-
ter penes terminum quæsitus. Illud enim re-
spicit directè commodum *sui subjecti*; istud au-
tem commodum *subditorum*, esto frequenter,
indirectè redundet ex illo etiam commodum
Superioris, *in quantum* est pars communitatis,
cui directè prospicit.

Quare si dicas: quilibet legitimus Superior,
jus suæ jurisdictionis habet *suum* jure propri-
tatis; ergo actibus, ac præceptis gubernativæ
potestatis uti potest directè in commodum li-
bertatis propriæ; sicut operationibus equi *sui*
jure proprietatis uti potest in suum commo-
dum. Ant. prob. quia si superior in usu jurisdi-
ctionis gubernativæ ab alio illicite impedi-
etur, pateretur veram injuriam.

Rg. 1. N. ant. Universaliter. Fallit enim in
Superioribus earum religionum, quæ omnis
juris proprietatis incapaces sunt. Nam illis cō-
petit nudus usus facti, non juris. Rg. 2. transf.
ant. dist. conf. Ergo per actus reflexos, à jure
proprietatis elicitos (quorum objectum sint a-
ctus eliciti à jure jurisdictionis) potest uti hac
jurisdictione, & ejus actibus in commodum
suæ libertatis, transf. per actus elicitos à jure ju-
risdictionis N. conseq.

6. Dicitur 5. facultas *directè* percipiendi commodum. Nam facultas *indirectè* percipiendi commodum ex usu subditorum etiam convenit juri jurisdictionis gubernativæ, ut dictum est. Dicitur 6. facultas *directè* percipiendi commodum *ex usu rei*; facultas enim *directè* percipiendi commodum ex aliqua re (puta ex asperetu, vel complacentia in aliqua re, sine usu ejus) non est facultas juridica, seu jus, quod est objectum justitiae commutativæ.

7. Dices 1. Usuarius habet legitimam facultatem, *directè* percipiendi commodum libertatis propriæ ex usu domûs, cuius habet usum juris, quin habeat jus proprietatis erga domum (nam hoc manet penes locatorem) ergo per eam facultatem non rectè describitur jus proprietatis. Rg. Usuarium secundum quod habet potestatem legitimam (seu lege, vel pacto sibi constitutam) secundum hoc non habere jus proprietatis erga domum, quoad substantiam; sed tantum erga usum ejus; ergo secundum hoc, non autem illud, habet jus proprietatis. Nam usus juris est, solum utendi re, salvâ ejus substantiâ. Solum ergo sequitur, quod habeat erga domum, seu potius *erga aliquid ejus*, jus proprietatis imperfectum.

8. Dices 2. Potest dari jus sine ordine ad usum; ergo jus activè sumptum non rectè describitur relatè ad usum. ant. prob. quia potest

dominium ejusdem rei in solidum , saltem aliquando , possit esse penes duos ? non obstante quod L. si ut certò . §. si duobus , ff. Commodati , expressum sit : *duorum in solidum dominium esse non posse.*

ARTICULUS I.

Jus in re , & jus ad rem , non differunt ex eo , quod illud pariat actionem realem , istud personalem.

39. **Q**uia nihil differt ab altero per id essentialiter , sine quo potest esse (nihil enim potest esse sine suo essentiali distinctivo) sed jus ad rem potest esse sine actione personali ; nam habens reale jus arboris , erga fructus nondum existentes habet jus ad rem , etiam tunc , quando nemo laedit tale jus : sed hoc casu non habet actionem personalem ; cum haec supponat lassionem . Nam actio in genere est , *jus in iudicio persequendi , quod sibi debetur* , ut dicitur §. 1. Inst. de actionibus . Haec porrò duplex est . Una *personalis* , seu in personam (quam etiam condictionem vocant) quam quis contendit , sibi alterum , dare aut facere oportere ; altera *realis* , seu in rem , quam quis petit rem ut suam Quia per actionem realem petimus , quod nostrum est ; per personalem , quod nostrum non est , sed debetur ; & ideo actio realis

quis habere jus , ne fraude alterius impediatur,
 quô minus ipse favore Testatoris instituatur in
 hæredem , quin habeat propterea jus ad usum
 hæreditatis , vel voluntatis residentis in testa-
 tore, aut altero. & . jus ejusmodi (potestate si-
 bi legitimè constitutâ) nihil aliud petere , quâm
 carentiam fraudis injuriosæ ; & ad hanc frau-
 dem prohibendam ipsi jus competere ; at hæc
 prohibitio est quidam usus rei sibi debitæ, quæ
 ipsi potest afferre commodum libertatis pro-
 priæ, non minùs , quâm non usus domûs suæ ,
 quam habitare posset. Unde ipse non usus est
 quidam usus, sed negativus, ad quem etiam jus
 dicitur.

9. Molina noster tr. 2. de Jure & Just. D. 1.
 dicit jus activè sumptum esse , cuius violatio con-
 stituit injuriam. Card. de Lugo, D. 1. hic s. 1. n.
 5. dicit , illud esse *moralem quandam præferibili-*
tatem, propter specialem connexionem, quam in u-
su talis rei quis habet in suum commodum, vel
cum ipsa re, vel res cum ipso. Card. Pallavic.
 I. 4. hic c. 2. n. 16. jus constituit in potestate ,
 quâ quis possit, velle, oppositum alicujus actio-
 nis, vel omissionis , esse illicitum alteri, ex mo-
 tivo sui beneplaciti. Haunoldus hic. to. 1. tr.
 2. n. 43. illud constituit, in facultate (per actus
 lege permisso) habendi alios obligatos in suum com-
 modum , seclusâ potestate gubernativâ illorum.

10. Sed sit suus cuique sensus ; illud breviter

an-

annotatum velim, primam definitionem juris, fieri per injuriam æquè ignotam, ac sit quiditas juris. Quis enim rectè (hoc est, *per quid clarius*) definiret obedientiam per hoc, quòd sit id, cuius violatio est inobedientia. Secundam fieri similiter per connexionem subjecti cum re, vel rei cum subjecto, quæ etiam dari potest in obedientia, in gratitudine &c. Si dicas non intelligi qualemcunque connexionem, sed eam, quæ sit constitutiva juris? sed hoc rursus inexplicatum relinquitur. Tertiam, esse obscuram, & non universalem; quia jus multorum lèditur, esto non velint, nec possint velle oppositum actionis, vel omissionis, esse illicitum ex motivo sui beneplaciti, ut contingit in pupillo alienante sua, jure talem alienationem annulante &c. Quartam, fallere in pluribus, ut constabit ex mox dicendis.

ARTICULUS II.

**Jus activè sumptum non bene
restringitur ad facultatem licetè non impe-
dibilem ab alio.**

II. *S*atis communis doctrina est, quòd ille non sit rei dominus, qui ab alio licetè impedi-ri potest in usu rei suæ, sed oppositum videtur clarum. Nam fieri potest, quòd Petrus equum vendiderit Paulo, sed non tradiderit; deinde

verò vendat, & tradat Caio : quo casu hæc venitio secunda est jure valida ; ergo Petrus habuit jus faciendi talem venditionem (nam , cùm aëtus jure valeat , debet jure factus esse , cùm carens jure alienandi , invalidè alienet) & tamen in dato casu Paulus licetè potest Petrum impedire , si velit ; cùm Petrus habeat obligationem omittendi secundam venditionem , & equum tradendi Paulo .

12. 2. Conjuges post matrimonium consummatum , de mutuo consensu , religionem approbatam professi , retinent jus mutuum ad usum conjugalem corporum (professione enim religiosâ matrimonium consummatum non solvitur) & tamen ab usu sui juris licetè impediuntur à sua religione .

13. 3. Religiosi Soc. JESU , etiam post vota biennii , retinent dominium rerum suarum , quas habuerunt in sæculo ; & tamen in earum usu , independenter à voluntate superioris , sunt licetè impeditibiles .

4. Caius contractis legitime sponsalibus cum Berta , nec illis dissolutis , invitâ Bertâ contrahens cum Titia matrimonium , validè contrahit , esto licetè impediri possit à Berta ; at hoc non stat sine vero jure contrahendi , seu Titiæ constitueri jus justitiæ sui corporis contractu jure valido ; ergo .

14. 4. Haunoldus cit . n. 55. ab omnibus ne-

negandum esse, Petrum in eo casu habere jus vendendi equum Cajo 1. quia manifestè absurdum est, habere simul jus agendi, & tamen agendo violare justitiam, seu agere contra jus alienum, quia sic daretur jus ad contradictionia. 2. quia falsum est ex hoc ant: *Iste validè celebrat hunc contractum, legitimè concludi, ergo habet jus validè contrahendi;* quia fallit primum in allato casu de matrimonio; deinde in pluribus aliis.

15. Nam qui injustè invadit fundum alienum, animo possidendi, expulso altero, validè, (naturaliter, & civiliter) possidet, si expulsus deponat animum in continentis recuperandi fundum; & tamen inferre non licet: *ergo habuit jus invadendi, et possessionem capiendi.* Hinc n. 57. sic concludit; igitur Petrus non habet jus vendendi equum Caio, sed tantum potentiam vendendi validè, quamvis injustè; sicut si ego comburam domum Pauli, validè comburo, sed non justè.

16. Verùm, si per hoc, quòd in quadam actione sim impedibilis licitè, in me cessat omne jus exercendi tales actionem; manifestum est, quòd Conjuges, post matrimonium consummatum, professi religionem, perdant jus exercendi copulam conjugalem (cùm à sua religione in hoc licitè impediri possint) & in casu facti peccarent non tantum contra votum castitatis, sed etiam contra temperantiam, perinde, quam si carerent vinculo matrimonii, quod tamen est negandum,

De-

Deinde manifestum est, ad contractus jure validos (v. g. validè vendendum, donandum, contrahendum matrimonium *contractu jure valido*) non sufficere solam *potentiam physicam*; sed requiri *potentiam juridicam*, seu facultatem liberam, munitam favore legis, vel pacti legitimi, tribuentis valorem actui. Nam Titius ante votum solenne castitatis habet potentiam physicam contrahendi matrimonium cum Caja (seclusis aliis impedimentis dirimentibus) & post illud retinet candem potentiam physicam ; & tamen post tale votum non contrahit validè ; quia pro circumstantia voti abest favor legis, ejusmodi contractui tribuentis valorem; ergo responsio nulla est.

17. Quare ad 1. dist. propositionem : absurdum est, habere simul jus agendi, & agendo facere alteri injuriam, si habeat jus agendi *citra legem nullantem*, & prohibentem C. si habeat jus *præcisè citra legem nullantem*, sed non prohibentem, N. Nam sic peccat per usucaptionem pluris. Ad prob. & negando, quod assumitur de contradictoriis. Patet in casu matrimonii, quo Caius validè contrahit cum Titia, sponsalibus non dissolutis cum Berta; nam in dato casu, stat in sponso jus contrahendi matrimonii *citra legem nullantem*, sed non *citra legem prohibentem*. Quare solùm habet jus ne à Berta impediatur *annulatione contractus*, non autem pura pro-

prohibitione. Sponsus igitur habet jus, ne impediatur contractus, annullando; & sponsa habet jus impediendi, solum prohibendo. Certum autem est, quod jus in sponso *ne suus contractus sit nullus*; & jus in sponsa, ut contractus ille sponso non sit licitus, non sit jus ad contradictoria; ergo.

18. Quod addi posset de bello utrinque justo. R. non implicare bellum utrinque justum formaliter, non quidem ex eodem, sed ex diverso titulo. Nam si duorum regum quilibet invadat fines alterius citra causam legitimam, quilibet bellabit justè & injustè, sed ex diverso titulo. Nam cujuslibet bellum (quâ est aggressivum) erit *injustum*, & nullo favore legis munitum, cum in dato casu neuter habeat jus invadendi fines alterius; quâ verò defensivum, erit *justum*; cum quilibet habeat jus defendendi se adversus iniquum aggressorem.

19. Ad 2. N. ant. quia implicat contractum esse jure validum, non munitum favore ullius legis, actui celebrato tribuentis valorem; nec sufficit sola potentia physica ponendi actum liberum, ut constat ex n. 17. Ad 2. prob. R. ex hoc antec: *validè possidet*; valere illationem; ergo habet *jus possidendi*; non autem: *ergo habuit jus invadendi*, nisi ponas hoc antecedens: *validè invasit*, invasione munitâ favore legis ad actum invadendi; sicut in nostris exemplis scim-

semper adest favor legis ad valorem actus, ergo bene inferimus, *jus ad agendum validè.*

20. Exemplum de comburente domum, non habet locū. Nam 1. ex hoc ant. solum probatur: *ego valide comburo domum alienam combustionē physicē validā*, seu, *validā validitate facti*, non autem: *ergo habeo jus*; secūs est si combustio esset jure valida. Nam ex eo, quod quædam operatio habeat solum valorem facti (nimirum nec lege, nec ratione legis factum approbante) sine dubio non sequitur, quod operans habeat jus; sed ex hoc non recte arguitur defectus juris, etiam in casu legis actui valorem tribuentis.

21. Nequè dicas: si valet: *contractus est jure validus*; ergo *conerabens habet jus*; valebit etiam; iste *contractus est jure invalidus*; ergo non habet jus *contrahendi*. Et enim: N. conseq. nam quod illè *contractus sit jure nullus*, nasci potest ex lege *annullante præcisè usum juris*, non *jus*, quia, si *præcisè annullat usum*, non annullat id, quod est adæquatè distinctum ab usu; sed *jus* est adæquatè distinctum ab usu; ergo *annullando præcisè usum*, non annullatur *jus*; ergo *usus* potest esse nullus stante *integro toto jure*.

22. Instab. *Barbarius*, conditione servus, sed statum dissimulans, Romæ factus Prætor, multa gessit, quæ validè acta habuit *Populus Romanus*, etiam cognitâ conditione servi; sed ad

ea validè agenda in Barbario non fuit jus; (cùm servi præturæ incapaces fuerint) ergo valor a-
ctus non semper arguit in agente potentiam juridicam. R. neg. min. ex L. *Barbarius*. ff. de of-
fic: Præt. ubi dicitur: *eius acta valida esse, quia populus Romanus potuit servo decernere hanc potestatem.*

ARTICULUS III.

Nec bene restringitur ad solos
actus lege permissos.

23. **R**atio constat ex n. 11. Nam plura fi-
unt, jure tribuente actui valorem juris,
& effectus ejus ex illo valore nascentes, quin
constituant illi facultatem citra omnem legem
prohibentem. Sic multi concedunt, clericos
habere strictum jus, etiam superfluorum ex
proventibus beneficii; & tamen, esto illa super-
flua expendant in usus profanos peccare qua-
dem, sed non contra justitiam, quod tamen
falsum esset, si carerent dominio superfluorum;
ergo stat jus ad actum lege non permisum.

24. Nequè dicas: si jus esset ad actus lege
non permissos, daretur legitima facultas 1. ad
actum contra legem; 2. ad peccatum formaliter.
Sed utrumque implicat; quia facultas ad
actum contra legem, nequit esse legitima; er-
go, mai. pat. quia ponere actum cùm prohibi-

tione justæ legis, est peccare; ergo jus ad actus justâ lege non permisos, est jus ad peccatum formaliter. Confirmatur. Nam quod fit injūstè, fit sine jure; sed quod fit contra legem, fit injūstè; ergo quod fit contra legem, fit sine jure; sed quod fit per actum lege non permisum, fit contra legem; ergo quod fit per actum lege non permisum, fit sine jure.

25. Rq. dist. mai. & dico illam esse veram, si jus esset ad actus, *lege juris constitutivâ non permisos*, non autem, si sit ad actus *lege non constitutivâ juris, sed juri extrinseca non permisos*. Nam cùm dixerimus, jus constitui facultate legitimâ, & eam dici *legitimam* à favore legis, vel pacti legitimi; jus seu facultas illa legitima non extendit se ad alium rei usum, quam quantum habenti tale jus à favore legis, vel pacti, juris constitutivi permisum, vel concessum est.

26. Cùm autem certum sit, legem juris constitutivam, posse dupliciter favere 1. solùm tribuendo valorem actui, quin excludat aliam legem juri extrinsecam, & prohibitivam usûs; 2. tribuendo valorem actui, & simul excludendo etiam legem, præcisè prohibentem usum juris; videtur quoquè certum, posse dari jus ad exercendum actum validè secundùm legem intrinsecam, & constitutivam juris, licet fiat illicite contra legem extrinsecam, & non constitutivam juris. Certum enīma est, quod plura fiant,

fiant, in foro poli, seu conscientiæ validè, quæ in eodem, vel in foro fori, seu extrinseco fiunt illicite.

27. Ad prob. mai. q. cùm dist: ponere aëtum cum prohibitione legis justæ, est formaliter peccare, in quantum ponitur contra legem juri extrinsecam, & ejus non constitutivam, C. est formaliter peccare, in quantum actus est juxta legem intrinsecam, & juris constitutivam N. ma. & conseq. nam jus constitutum lege præcisè valorem actui tribuente non est, nisi ad ponendum aëtum valide, seu *citra legem annullatiā* vam aëtūs; sed sic actus non explicat peccatum formaliter. Nam ille actus dupliciter potest considerari, vel *ut est juxta legem constitutivam* juris, & sic explicat solum valorem aëtūs; vel *ut est contra legem prohibitivam usūs*, & sic est peccatum formaliter. Quare ad eam propositionem; *actus lege non permisus est peccatum*, q. cum dist. si actus consideretur, ut est contra legem prohibitivam usūs, & extrinsecam juri C. si, ut est juxta legem constitutivam, & intrinsecam juri N. hinc, qui celebrat in peccato mortali, validè, sed illicite consecrat, quin ea potestas consecrandi, etiam in circumstantiis peccati, sit ad peccatum formaliter; quia scilicet actus ut est juxta potestatem consecrandi, explicat solum valorem aëtūs, qui, ut talis, non est peccatum formaliter.

28. Ad id, quod additur: *facultas ad actum contra legem non est legitima.* Rq. non est legitima, secundūm quod est *contra legem*, C. secundūm quod est *juxta legem*, N. sed in casu, quo Caius, non dissolutis prius sponsalibus cum Bertha, contrahit matrimonium cum Titia, valor actūs est *juxta legem* juris constitutivam, esto secundūm quod ille actus est injuriosus Bertæ, sit *contra legem* juri extrinsecam; ergo jus ad actum *valide* ponendum, est facultas legitima, seu *juxta legem*, quæ actui tribuit valorem. Hinc quando regulâ 64. de reg. juris in 6. dicitur: *qua contra ius fiunt, debent utiq; pro infectis haberi.* Rq. intelligi, de his, quæ fiunt *contra legem* annulativam juris, aut usūs ejus; non autem si fiant *contra legem*, seu *ius merè prohibitivum usūs*. Sic matrimonium *contra interdictum Ecclesiæ*, & *absolutio contra nudam Episcopi prohibitionem*, valet, licet sit *contra ius*.

29. Ad confirm. Rq. 1. cum dist. *quod fit injuste*, hoc est, *cum peccato*, fit sine jure, N. *quod fit injuste*, hoc est, *sine favore legis*, vel *pacti legitiimi*, fit sine jure, Concedo. 2. quod fit *injuste*, sed *valide*, fit sine jure, N. quod fit *injuste*, simul & *invalidē trans. ant.* at sæpè fit aliquid *injuste*, hoc est, *illicitē*, quod tamen fit *valide*, & cum favore legis tribuentis valorem actui (quia sic fit de jure, nimirum lege, vel ratione legis approbante, loquendo de lege juris constitutiva;) ergo.

30. Ex dictis colliges, negandum esse, quod dicitur, si *jus* *effet ad actus lege non permisso*, habens tale *jus*, obligaret alios, & non obligaret, ad se non impediendum. Nam per ordinem ad quod lex *juris constitutiva* favet habenti *iūs*, ab ipsa constitutum, per ordinem ad hoc gravat alios, ne habentem tale *jus* impedianter; non autem per ordinem ad hoc, ad quod ei non fayet. Favet autem, ne impedianter annullando; non autem ne impedianter, pure prohibendo actum; ergo. Hinc quando dicimus, *jus extendi ad actus lege non permisso*, intellige de *lege juri extrinseca*; non autem *intrinseca*, & *juris constitutiva*.

ARTICULUS IV.

Jus Passivum, seu debitum justitiae, in eo differt à debito aliarum virtutum, quod habeat pro termino formaliter indemnitas alienæ libertatis.

31. EX præcedentibus constat, quod *jus aetivè sumptum*, ei, in quo residet, favet ad utendum re in commodum suæ libertatis; & in ordine ad hoc gravet, tum rem juri subjectam, tum alios simili jure in eandem rem carentes. Rem quidem, ut obligatam habenti *jus* ad sui usum; *alios* ne ipsum impedianter in usu rei suæ, secundum quod illi favore legis subjicitur. Quare in illis ponit obligationem,

seu debitum, ipsum in usu rei suæ servandi indemnaem, *hoc est*, non impediendi enim irum impedimento, quod excludit lex constitutiva juris.

32. Hoc debitum dicimus jus passivum; quod *sumptum formaliter*, supponit pro ipsa obligatione præstandi alteri indemnitatem in usu rei suæ, quâ suæ. *Objectivè* autem pro ipsa indemnitate. Debitum hoc juxta Philosophum dupliciter violatur. 1. *usucapione pluris*, vel *permissione minoris*, nempe, vel sibi plus arrogando, vel alteri minùs permittendo, quam jure concessū sit. *Justitia enim cuiq; suū tribuit, alienū non vendicat* teste D. Ambros. I. de offic. c. 24. his præmissis.

33. Videtur 1. *obligationem conscientia ad alterum*, inductam virtute legis ita jubentis, non esse propriam justitiæ. Nam *obedientia* ponit in subditis obligationem conscientiæ ad superiorem. Religio ponit in nobis obligationem ad Deum, inductam virtute legis ita jubentis, quin sit obligatio strictæ justitiæ, & ejus violatio pariat injuriam. Nec enim violatio cuiuslibet legis, subiectum obligantis alteri, parit iniquum. ut habetur 5. Ethic. c. 2. Videtur 2. nec illam obligationem (vel debitum) esse propriam justitiæ, quæ ligat debitorem, personæ obliganti, ut potenti pro libitu deobligare. Nam hoc etiam potest superior, cum præcipit, pro libitu potens præceptum validè auferre.


34. Ex eo igitur debitum justitiæ , à debito
aliarum virtutum differt, quod quærat inde-
mnitatem alienæ libertatis legitimæ ; nam hoc
jus activum (quâ tale) gravans alios , directè
quærit ; ergo in habente jus passivum , seu ob-
ligationem justitiæ ponit debitum hoc præstan-
di. In eo enim rectissimè ponitur jus passivum ,
sen debitum justitiæ , quod habenti jus acti-
vum debetur ; debetur autem , quod hoc direc-
tè quærit ; & hoc directè quærit commodum
libertatis propriæ ; seu , quod idem est , inde-
mnitatem suæ libertatis legitimæ , ergo .

35. Non loquimur autem de debito justitiæ ,
pure existimato. Alias putans se debere centū ,
cum in re deberet tantum quinquaginta , red-
dendo solummodo 50. non satisfaceret obli-
gationi justitiæ , esto ponat medium rei , seu id ,
quod libertas aliena favore legis , constitutivæ
juris , legitimè exigit. Quamvis autem quis al-
teri teneatur domum suam servare inde-
mneim , quia sua est ; non propterea suitas est ter-
minus formalis à jure passivo debitus , sed in-
demnitas libertatis legitimæ in illo , qui domum
eam habet ut suam . Nam hoc exigit jus ejus a-
ctivum .

36. Verum est , quod indemnitas (quam pe-
tit jus activum) ut terminum , cui jus passivum ,
seu debitum æquari debet , respiciat jus acti-
vum ; sed ex hoc tantum sequitur , quod ha-

bens jus passivum , seu debitum justitiæ , per a
morem indemnitatis debeat connotare , non
amare , jus activum , cui satisfacere tenetur ;
sufficit enim quòd amet , seu velit rem à se po-
nendam ; at hoc fit , amando indemnitatē a-
lienī juris , non amando , sed tantū connotan-
do jus alienum , ut ostensum est in tract. de In-
carnat.

37. Nec urget , quod dicunt : ipsum debere
velle indemnitatē , ut aequalē debito , seu juri
alterius. Nam hoc verum est , si particula redu-
plicans supponat materialiter , & faciat sen-
sum denominativum ; quin supponat formaliter ,
& faciat sensum quiditativum ; cùm quis
possit justitiæ satisfacere , licet oderit jus impor-
tuni creditoris . Ex quo colliges , quòd justi-
tia commutativa respiciat quidem æqualitatem
cum jure activo ; sed sumptam denominativę ,
non formaliter , & quiditativę , juxta dicta in
tract. de Incarn. à. n. 276.



QUÆSTIO II.

De Dominio perfecto.

38. P Ræmissâ differentiâ juris in re , & juris
ad rem , exponendum venit ; 1. quid
fit dominium plenum , seu perfectum . 2. an
do-

lis rem sequitur; per eamque vendicari potest res, penes quemcunque sit; personalis autem non egreditur personam obligatam.

40. Dices. Jus erga fructus nondum existentes, est jus in re; ergo probatio non subsistit. ant. prob. nám ut aliquid terminet jus in re, sufficit, quòd moraliter existat: sed fructus in re nondum existentes, existunt moraliter in arbore frugifera; ergo. Maj. prob. quia ut aliquid terminet jus in re, sufficit, quòd illi sit juridicē unitum; sed ad hoc sufficit moralis existentia, ergo. 2. fructus nondum existentes, vendi possunt. 3. Creditor habet jus in re erga gemmam in pignus acceptam pro pecunia mutuata, ut dicitur l. 1. ff. *de pignor.* sed pecunia solum moraliter est in gemma; ergo datur jus in re, erga rem solum moraliter existentem. 4. actio personalis est jus contra personam, si laedat; ergo datur ante læsionem.

41. R^g. N. ant. nam quod terminat jus in re, vendicari potest repetitione reali; id, quod non convenit rei, quæ non existit antecedenter ad veram & liberam Domini de illa dispositionem. Ad prob. transf. maj. N. min. nam arbor frugifera non est prudens fundamentum judicandi fructūs *existere*; sed tantum *exitutros esse*; igitur in ea non existunt de præsenti, sed de futuro. Dixi transf. maj. nam ejus probationes non evincunt ejus veritatem. Ad 1. enim

¶. C. maj. N. min. nam quod non est de præsenti, nequit esse juridicè unitum ; quia quod non est, non traditur. ad 2. prob. N. ant. nam eo casu non venditur res non existens, sed jus ad rem , quod est de præsenti, & est pretio æstimabile. Ad 3. prob. C. maj. nam jus reale pignoris substituti pecuniæ mutuò acceptæ, est jus reale in pignus, non in pecuniam. ad 4. ¶. illud esse jus duntaxat conditionatum. Unde solùm sequitur , quòd haberet actionem personalem, si læderetur; non autem; quòd habeat.

ARTICULUS II.

Jus in re , & jus ad rem ex eo differunt, quòd illud respiciat rem sibi juridicè devinctam , seu unitam ; istud inunitam , sed uniendam.

42. **S**ic Molina tract. 2. D. 2. Per *unionem* **S**autem *juridicam* intelligo rei traditionem naturalem , vel fictam , cum titulo sufficienti ad translationem dominii. Sit enim *casus* : **E**mis à Titio numeratâ pecuniâ equum , & domum ; equum tibi statim tradit, domum spondet se cras traditurum ; sed interim alteri vendit, & tradit : in hoc casu habes jus equi reale , & tantum personale domûs ; at non habes jus reale equi ex alio capite, quam quia illum habes tibi juridicè unitum ; & tantum personale

domis, quām , quia non habes illam tibi juridicē unitam ; sed tantū vi juris ex contractu emptionis nondum perfectæ traditione , eam tibi tradi petis , vel satisfieri exigis, quantūm interest , traditam non esse ; ergo .

43. Dices. Hoc , quod est rem habere sibi devinctam, vel est aliud, vel non est aliud, quām habere rem sibi obligatam ? si primum ? per eos terminos relinquitur jus in re obscurū, & inexplicatum; si secundum ? locutio est impropria. Nam obligatio propriè non cadit nisi in rem intellectualem. Conf. Dominus habet jus reale in mancipium ; Conductor non habet jus reale in operarium ; & tamen uterquè habet sibi personam devinctam; ergo jus reale non est bene expositum.

44. R^e. ex n. 42. *habere rem sibi devinctam*, idem esse , ac *habere rem sibi traditam* traditione vel naturali , vel fictâ, intelligendo per illam rei apprehensionem factam actu aliquo corporeo, ut manu , pede ; per istam aliquid ex dispositione legum æquivalens ; nam spectato jure civili regulariter traditionibus, non nudis pactis, dominia rerum transferuntur. L. *traditionibus*. C. *de pactis* ; dixi 1. *spectato jure civili*. Nam Waddingus D. 1. de contract. d. 4. §. 1. n. 11. probabiliter docet, solo actu interno dominium transferri posse in alterum , stando in jure naturali, Dixi 2, *regulariter*. Nam Doctores com-

muniter docent, hæreditatem, vel fidei commissum, loco pio relictum, non egere traditione juxta L. *heredes ff. de aquir: possess.* ita Wadingus loc. cit. Ad confir. dico, utrumquè habere sibi personam devinctam, sed non eodem modo. Nam ille habet sibi mancipium devinctum, & secundùm sc, et quoad operas; conductor verò non habet sibi devinctum operarium quoad sc, & substantiam; sed tantum *quoad operas.*

ARTICULUS III.

Dominium plenum, seu perfectum, est jus authoritativè percipiendi commodum libertatis propriæ per omnem usum rei, possibilem subiecto illud habenti.

45. **Q**uòd perfectus rei dominus debeat authoritativè posse disponere de re sua omni usu possibili, docet, præter alios Amicus D. 13. *de Just. S. 1. n. 1.* per ly *authoritativè* intelligitur potestas utendi re, *nomine suo;* & in commodum suum, per virtutem in ipso residentem, nec pendentem ex alieno privato arbitrio. Quòd autem sit ad omnem usum possibilem, inde constat; quia, si secùs, foret ex eo, quòd aliquem usum vel excluderet, vel præscinderet; sed hoc implicat in dominio pleno; cùm ex terminis explicet plenitudinem potentiae

riæ ad utendum re suā ; certum autem est , id plenum non esse , cui aliquid deficit ; ergo .

46. Ex dictis coll. 1. non omne jus in re , esse dominium ; nam creditor jure reali habet pignus , quin sit ejus dominus . Coll. 2. jus feu- dale , emphyteutæ , Usuarij , vel Usu fructuarii , ac universaliter omne jus pendens ab alterius personæ privatæ dominio (ut jus procurato- ris) excludi à jure dominij perfecti ; cùm non habeant jus ad omnem rei usum possibilem . Coll. 3. dominium non stare cum lege illud an . nullante , vel diminuente . Nam dominium ad usum oppositum legi illud annullanti , vel dimi- nuenti , est dominium non datum , vel ablatum ; ergo nullum . Coll. 4. Illud posse consistere cum lege , usum præcisè prohibente , ex n. 23 . Deinde etiam cùm lege usum præcisè annul- lante ex n. 21 . Coll. 5. Dominium plenum es- sentialiter importare dominium tam directum , quam indirectum , seu utile .

47. Dices 1. Etiam destruēto penes Cajum dominio , multi manent illi possibiles usus rei , quos non potuit stante dominio ; ergo domi- nium non est ad omnes usus possibiles . 2. do- minium non esse ad usum ; qui formaliter im- portat carentiam potentiaæ juridicæ ; alias de- beret dari potentia , quæ cum effectu conjungat negationem sui , & consequenter negationem sui secum . Effectus enim , ut existens ab hac po- ten-

tentia, essentialiter importat existentiam potentiae activae in suo genere, ut recte notat Izquierdo d. 1. de Deo n. 47.

48. Dices 2. si dominium non stat cum lege annullativa, vel diminutiva dominii, definiri debet, *ad omnes usus, permisso lege non annullante, vel diminuente dominium.* R. neg. illatum; nam illud sufficienter explicat *facultas legitima.* Usus enim, ad quos est dominium, subiiciuntur dominio; usus autem, quibus illae leges obstant, non subiiciuntur dominio (nec enim subiiciuntur illi, quod non est) sed positâ lege dominium annullante, vel diminuente, dominium non est; ergo.

49. Dices 3. si dominium esset etiam ad aliquos actus, oppositos legi eos solam prohibenti, esset ad actus illicitos; sed hoc falsum est; nam tributio pretii ob turpem causam non vallet. L. generaliter; & L. si stipuler. ff. de Verb. obligat: ibi generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti. R. ex n. 27. Jus omnino dici, ad validè faciendos aliquos usus, oppositos legi præcisè prohibenti usum, quin sit potentia ad peccatum formaliter. Illa autem stipulatio jure positivo non tantum prohibetur, sed etiam annullatur teste Molina D. 94. de Just. n. 7. non tamen jure naturæ. Hinc esto promissarius ex illa stipulatione non obligetur ad faciendum actum turpem; patrat o

tamen opere (stando in jure naturæ) sine injuria , & onere restituendi , accipere potest æquale pretium facti . Hinc etiam cum Card. de Lugo , D. 18. de furt. n. 6. dici potest , illam stipulationem , etiam jure positivo valere post opus patratum ; cum lex solùm loquatur de valore ante factum . V. dicenda n. 580 .

50. Dices 4. Dominium essentialiter est potentia juridica ; ergo quâ ratione nequit esse potentia juridica , consistere non potest ; sed nequit esse talis , stante lege usum præcisè annullante (si enim etiā hoc casu talis foret , posset validè ponere actum , lege nullum ; at hoc non potest ; nam privata potestas nequit resistere potestati publicæ) ergo . 2. quia sic esset potentia ad actum validè ponendum pro statu nullitatis .

51. q. C. quòd dominium sit essentialiter potentia juridica adeoque non posse consistere quâ ratione nequit esse potentia juridica ; N. autem , quòd non possit esse talis , stante lege usum præcisè annullante , ut dictum est n. 21. Sic stante decreto Dei efficaciter voluntis , ut existente igne , nullus sit calor ; manet virtus ignis , esto effectus sit nullus , non defectu virtutis , sed extrinsecè , ratione legis , aut decreti annullantis ipsum . Ex quo vides ad dominium non requiri (ad hoc ut maneat potentia juridica etiam stante lege usum præcisè an-

annullante) quòd possit ponere actum validè pro statu nullitatis (componendo scilicet valorem actus cum lege ipsum annullante) ut clare constat ex instantia ignis; sed sufficere, quòd habeat potentiam sic constitutam stante lege annullante usum præcisè, ut favore legis constitutivæ nihil virtutis desit ad ponendum actum validè, sublatâ illâ legé extrinsecâ.

52. Dices 5. Possessor majoratus non habet plenum dominium; sed hoc non aliunde nascitur, quam ex hoc præcisè, quòd alienatio, & alii certi usus sint jure annullati; ergo plenum dominium non stat cum lege usum præcisè annullante. R. à. Card. de Lugo D. 2. de Just. n. 6. concedi ma. Sed à Molina cit. tr. 2. d. 3. n. 4. negari. Juxta Lugonis sententiam R. ex eo in illo non esse plenum dominium, quia illi alienatio est annullata, non per legem præcisè annullativam actus, sed diminutivam juris. Juxta Molinam autem negatur maj. Nam per constitutionem majoratus, nulla pars pleni dominii aufertur, & transfertur in alium. Duos enim effectus juris parit constitutio majoratus. 1. quòd usum alienativum præcisè annullet; sed per hoc nihil juris annullatur, vel aufertur. ex n. 21. Deinde, quòd illa bona gravet, ut eodem omnino jure, ac æquè libera transmittantur ad successorem; sed nec hoc gravamen aliquid juris
dī

diminuit, vel in alium de præsenti transfert; quia in successore solum est jus de futuro, & vinculatio ista solum annullat usum gravandi bona, quo nihil iuris tollitur; ut colligitur ex L. generaliter Verb. *sub conditione.* ff. *qui, & à qui-*
bus. ibi *sunt conditione legatus servus,* pendente con-
ditione pleno jure hæredis est, & tamen hæredi tunc
vinculata est alienatio servi.

53. Dices 6. si dominium plenum pe-
tit essentialiter facultatem ad omnem usum
subiecto illud habenti possibilem, petit etiam
facultatem alienandi rem per abdicationem
dominii (nam talis usus est aliquis usus possi-
bilis) hoc autem repugnat; nam Deus est ple-
nissimus rerum dominus; & tamen abdicare à
se nequit dominium creaturarum. R. tripliciter
1. N. ma. ad prob. dico, dominium esse ad
omnem usum rei, *subiecto* illud habenti *possi-*
bilem; non autem *possibilem* præcisè *relatè ad rem*
dominio subiectam. Nam alias Deus non esset
perfectus dominus equi, quia non potest uti
equo ad equitandum. Unde hic usus, possibilis
est de re, spectatâ secundum se; sed non est
possibilis Deo.

54. R. 2. N. mai. nos enim definivimus
dominium ad directum usum rei, non autem
ad usum simul reflexum ipsius dominii. Alie-
natione autem illa est simul reflexus usus dominii
directi. Sic cognitio directa de parietate, cùm de-
fini-

finitur, non exponitur ad cognitionem refle-
xam supra se. Ex quo constat potentiam alienati-
vam rei per abdicationem dominii, non es-
se de conceptu dominii perfecti ut sic (hoc e-
nim est in Deo sine illa) sed dominii *ut defecti-
bilis*. Sic mutabilitas non est de conceptu en-
tis ut sic, sed talis.

55. q. 3 cùm distinctione ma. & dico, ad
dominium plenum pertinere quidem potenti-
am alienativam dominii, *sumptam positivè*, pro
virtute dominium ejus rei constituendi etiam
in alio ; sed non *sumptam privativè*, pro virtute
privandi se dominio debito. Nam Deus sine ta-
li dominio privativè sumpto est perfectissimus
rerum dominus. In aliquo tamen sensu conce-
di potest Deo potentia alienandi, seu abdicandi
à se dominium *privativè sumptum*, hoc ni-
mirum, quòd possit facere, ne sit dominus *exclu-
sivè*, hoc est, *solus*; cùm (ut dictum est) de
Incarnat. possit etiam in creatura dari domini-
um aliquod rei, Deo subiectæ.

ARTICULUS IV.

In instanti translationis domini-
um ejusdem rei in solidum est necessariò
penes dantem, & accipientem.

56. P Onimus i. quòd donatio fieri possit in
instanti, secundùm quod explicat con-
sen-

sensum dantis, & acceptantis, id quod etiam in aliis pactis, vel contractibus fieri potest. Ponimus 2. per translationem dominii non intelligi hic motum alium, quam quo quis viâ causalitatis moralis constituit rei dominus per voluntatem ejus, qui habet facultatem legitimam rem donandi, vel non donandi, sed reservandi, vel in alias usus convertendi juxta commodum propriæ libertatis; his præmissis.

57. Prob. 1. pars, quod in instanti translationis (*donationis* v. g. *mutuo consensu perfectæ*) dominium sit in donatario 1. quia implicat existere actualitatem donandi rem, & rem non esse actu donatam 2. quia in instanti contractus matrimonialis verificatur illud: *mulier sui corporis potestatem non habet, sed Vir.* & vicissim. Sed hoc verum non esset, si in instanti, quo mulier Viro per legitimum contractum constituit jus sui corporis, non esset in recipiente. ergo.

58. Quare not. contra Pontium Scotistam, nobis contrarium D. 23. de Virt. moralibus. q. 7. n. 40. licet verum sit, donatarium non habere prius dominium rei donatae, quam donans velit; negari tamen, quod hic non velit, ut habeat, nisi sequenti instanti. Nam pro eo instanti vult eum illud habere, in, & pro quo sit contractus. Sed hic sit pro præsenti, & in præsens, ut ponitur in casu, ergo Quod autem donarius tunc habeat dominium dependenter

et voluntate donantis, non obstar; est enim solum dependentia causalitatis, non revocabilitatis.

59. Prob. etiam 2. pars, quod in instanti donationis (quo scilicet rei dominus, ejus dominium, actu producit, seu constituit in donatario) dominium ejusdem rei in solidum etiam necessariò sit in donante. Nam qui liberè donat donatione jure validâ, donat habens legitimam potestatem donandi, vel non donandi, sed retinendi, vel in alios usus convertendi juxta commodum propriæ libertatis suæ; at legitima potestas donandi vel non donandi, sed retinendi, vel juxta commodum suæ libertatis propriæ in alios usus convertendi, formalissime est dominium; ergo qui donat donatione jure validâ, habet dominium. Min. constat ex dictis, n. 56.

60. Ma. prob. nam ut quis validè donet rem suam alteri, non sufficit sola potestas physica; sed requiritur facultas legitima, seu munita favore legis, vel pacti legitimi, autoritatem, operandi taliter, investientis operanti. Nec sufficit fuisse immediatè prius, cum ut dictum est n. 47. omnis effectus sive physicus sive moralis existens sufficientiâ alienâ, dum existit, essentialiter petat existere sufficientiam, per quam existit; alias existeret, dum nulla datur sufficientia, ut existat; sed sufficientia, per quam do-

minium rei , validâ donatione constituitur in donatario , est libertas domini , cui favor legis investit authoritatem, seu facultatem legitimā donandi, vel non donandi, aut in alios usus juxta commodum propriæ libertatis convertendi ; ergo.

61. Ex hoc colliges 1. dominium plenum , licet dicatur *potentia juridca* , seu *potestas & denominatio moralis* , præter libertatem habentis dominium , includere , seu constituti per favorem legis , dispositione suâ subjicientis rem aliquam ad omnem usum possibilem ; & *cognitionem* , quæ favorem legis intimet ei , cui favet , *sum ejus acceptatione* ; & hæc lex dicitur constitutiva juris. Illum favorem legis aliqui vocant dominium sumptum extrinsecè , & incompletè ; sumptum cum cognitione ejus , & acceptatione , dominium acceptum intrinsecè , & completè .

62. Coll. 2. ut à me aëtus aliquis (*donatio v. g.*) fiat validè , tanquam à rei domino , non sufficere , quòd tunc dominium rei solùm extrinsecè & incompletè sumptum sit penes me. Aliás etiam hæres ante aditam hæreditatem validè disposeret de illa , quia tunc jam habet sibi faventem legē sub conditione , quòd acceptet .

63. Negandum etiam est , quòd in eo , qui rem suam validè donat , tunc , quando donat , non adsit *cognitio de favore legis ipsi talem usum*

sum concedentis & voluntas utendi eo favore,
cum illo actu utatur.

64. Quidam dicunt : dominium alicuius rei explicare duplex *dominium*, 1. *directum*, seu *formale*, quod est potestas directe & immediate disponendi de ipsa re. 2. *dominium radicale*, seu *reflexum*, situm in potestate immediate, ac directe disponendi de dominio directo. Hinc volunt in instanti translationis, dominium directum, & formale esse penes donatarium ; dominium autem reflexum, & radicale, penes donantem. Verum donans in instanti translationis non tantum disponit de dominio rei, sed etiam immediate de ipsa re, illam tradendo. ergo non tantum habet dominium radicale, sed etiam formale.

65. Coll. 3. Negandum esse, quod translatione dominii, eo instanti, quo dominium constituit in donatario, ponat in donante privationem dominii, seu sit actualis destru^ctio dominii in donante 1. quia talis translatio nullum constitutivum dominii destruit ; non libertatem donantis ; non favorum legis ; non ejus cognitionem, non voluntatem actu habendi, & utendi favore legis. ergo. 2. Quia nullus effectus potest esse actualis destru^ctio suae causae tunc, quando ipsum actu causat ; sed translatio c^r minii in instanti translationis est effectus dominii in donante ; ergo in instanti translationis, ipsa translatio dominii

non est actualis destructio dominii in donante.

66. Dices, ma: esse veram, *de effectibus positivi-*
vis, non autem *negativis*. Sic homo seipsum oc-
 cidens non est tunc, quando ponitur in ipso
 mors, seu privatio vitae, nimirum effectus ejus
 negativus. Verum contra est 1. quia paritas
 nulla est; homo enim non occidit se, *occisione*
habente sibi annexum indispensabiliter effectum ne-
gativum, seu privationem vita eo instanti, quo ponit
effectum positivum, nempe actionem occisivam
sui: at juxta adversarios effectus positivus (ni-
 mirum translatio dominii in donarium) eo
 instanti quo fit, habet sibi annexum indispensabi-
 liter effectum negativum, nempe privatio-
 nem dominii in donante, ergo.

67. Contra est 2. quia quando causa actu
 causat effectum positivum, iste nequit esse actu-
 alis destructio suae causae; ergo etiam quando
 actu causat effectum negativum, indispensabi-
 liter eodem instanti annexum effectui positivo,
 quem tunc actu causat, consecq. constat. nam
 alias causa actu *causaret positivè*, quando non est
 positivè; sed privatio dominii in donante, est
 effectus negativus, indispensabiliter annexus
 effectui positivo donantis eo instanti, quo actu
 ponitur ille effectus positivus, nempe constitu-
 tio dominii in donatario, ergo. Nec bene re-
 spondetur à dicentibus: effectus negativus, *ni-*
bil est; sed, *ne nihil sit*, non requiritur actu cau-
 sa;

fa; ergo ut sit effectus negativus, non requiri-
tur actu causa. Nam N. min. quia manifeste
fallit, cum illud nihil ponitur liberè 2. cum po-
nitur destructione, quæ sit positione alicujus
rei incompossibilis; ergo.

68. Denique per instantiam de homine sei-
psum occidente, prorsus non ostenditur, quod
tunc effectus possit esse actualis destrunctio sua causa,
ipsum causantis, quando causa actu causat; nam eo
instanti, quo homo actu causat illam physicam
actionem, quæ vocatur occisio saltem radicalis,
sive inchoata, non destruitur homo; eo autem in-
stanti (nimirum immediate sequenti) quo po-
nitur occisio consummata (nimirum privatissimæ vi-
tae) non amplius actu causat; ergo.

69. Colliges 4. ad dominium perfectum
non pertinere potentiam ad usum impossibili-
lem; adeoque nec potentiam, quâ quis possit
velle illi prohibere usum rei (quem constituit do-
minum rei) pro sensu composito talis volun-
tatis, quia talis usus dominii, est usus rei impos-
sibilis. Sic enim constituendo illum rei domi-
num, vellet illi omnem rei usum esse licitum; & pro-
hibendo illi usum rei non vellet illi aliquem rei u-
sum esse licitum; ergo ad perfectum dominium,
non pertinet, quod donans eo instanti, quo
donat ut dominus, debeat posse donatarium
prohibere in usu rei pro sensu composito do-
nationis.

70. Coll. 5. Ad illam quæstionem, an Deus eo instanti, quo homini condonat peccatum, cum adhuc possit odisse? posse responderi cum dist. dicendo, quod potentia antecedente, & pro sensu diviso condonationis possit; non autem potentia consequente, & pro sensu composito condonationis. Si autem quæras, quo instanti dominium esse desinat in donante? R. in instanti, immediate sequenti donationem perfectam; quia tunc cessat favor legis. Nam lex constitutiva juris, sui favoris limitem constituit in instanti, immediate sequente contractum perfectum.

71. Coll. 6. negandum esse, quod dominium alicujus rei possit alligari cuidam alteri rei materiali, sic, ut penes eum solum sit dominium, penes quem physicè fuerit talis res; quia sic fieret, quod rei dominus non posset exercere omnem suæ rei usum.

72. Not. autem, quod etiam in casu, quo quis liberè destruit rem suam, eodem modo, quo dum donat alteri, dominium ejus sit in destruente; quia nihil, quod constituit plenum rei dominium, destructione rei, destruitur, ut constat ex n. 65. Si autem dicatur: Non potest dari jus in re, cum res non existit. R. cum dist. non potest dari jus in re; cum res non existit per usum ejus juridicum, seu procedentem à domino N: per usum non juridicum. C.

73. Unde etiam concedo, quod in instanti donationis in donante cesset voluntas, habendi rem, ut propriam exclusivè; sed non ut propriam positivè ex n. 55. hinc donans eo instanti adhuc est dominus rei positivè, sed non exclusivè seu solus; quia etiam donatarius est dominus ejusdem positivè.

74. Coll. 7. Verum esse, quod, ut verificeatur, *Justus peccat, homo moritur*, non requiratur, ut tunc sit *homo*, cum moritur, vel *justus*, cum peccat. Ratio est quia nec peccatum iustitiam justi; nec mors, seu privatio vitae, cum actu ponitur, respicit humanitatem, ut principium actu causans peccatum, vel mortem; sed donatio, cum actu ponitur, respicit dominium domini donantis, ut principium actu causativum legitimæ donationis, tunc, cum dominus donat, ergo paritas non est.

75. Si dicas; non potest mihi donari res, quae est mea, dum est mea; ergo nec possum dare alteri rem meam, dum est mea. R. ant. verum esse, si res est mea antecedenter ad donationē; non autem, si est mea per ipsam donationem; consequens similiter verum est de re, quae est mea privativè; non autem de re, quae est mea positivè; imò id essentialiter petit legitima donatio, cum tanquam effectus juridicus in suo principio supponat potentiam juridicam.

76. Coll. 8. negandum esse, quod ad

validè donandam rem meam sufficiat, quod
immediatè prius habuerim dominium: alias etiam
validè absolveret, qui immediatè prius habuit
jurisdictionem, esto tunc quando absoluit, non
habeat; ut si absolveret in instanti validæ resi-
gnationis officii, cui annexa est jurisdictione. Nec
juvat, quod dicunt discrimen esse, quia donatio
est destructio sui principii, non autem absolu-
tio. Nam hoc gratis assumitur, si attendatur
casus de resignatione; nec enim unquam o-
stendetur, donatione destrui ullum pleni do-
minii constitutivum, ut constat ex n. 65.

77. Si dicas: datur casus, ubi ad valorem a-
ctus sufficit, dominium immediatè fuisse prius,
ut patet in casu, quo hæres adit hæreditatem
prius jacentem; sed esto verum sit, quod do-
minium hæreditatis alicui à testatore defuncto
relictæ tunc primò transeat in hæredem, cùm
hic illam adit; & tempore hæreditatis aditæ te-
stator non existat physicè, & in se; existit tamen
juridicè, & fictione juris in hæreditate jacente.

78. Coll. 9. Concedi, quod actus, quo di-
co, volo esse Dominus, ipso instanti contractus in
me producat dominium, sed negari, quod actus,
quo dico, nolo esse Dominus, eo ipso instanti in me
destruat dominium, si actus, quo dico, nolo esse
Dominus, sit usus Domini, donativus, venditivus
rei &c. quia primus actus non supponit domi-
nium, ut principium sui esse; secundus; hinc
cti-

etiam notandum, quod donatio nec sequenti instanti sit destruictio dominii in donante.

79. Nam, quod dominium instanti proximo, post validum contractum (donationis v. g.) in donante cesseret, & destruatur, non habetur a donatione, tanquam causa; sed a dispositione juris & legum faventium exclusivè ad talem actum.

80. Neque dicas: donans eatenus vult donarium esse dominum rei donatae, quatenus ipse vult ejusdem non esse dominus. R. enim cum dist. quatenus ipse vult non esse dominus exclusivè, (nimirum solus) C. quatenus ipse vult non esse dominus positivè pro tunc, dum donat, N. Nam impossibile est, velle actum legitimum, dum in volente non est legitima facultas faciendi actum legitimum.

81. Ex hoc etiam constat ad L. sicerio, citat. n. 38. Dico enim illam aliquid non velle, quam quod dominium penes duos esse non possit extra instans actualis translationis & contractus; non autem intra illud instans. Leges enim propter dissensiones illud statuerunt, quæ orirentur, si dominium permanenter, & extra instans conrractus, esset penes plures; hoc autem periculum non est, si tantum transeunter, & solo instanti translationis esset penes plures; imò pro hoc casu leges loqui non potuerunt, quia sic leges vellent, ut donatio, vel contractus vale-

ret, dum in donante, vel contrahente non est facultas juridica, donandi, vel contrahendi adeoq; ut sit effectus, cùm non est ejus causa.

82. Coll. 10. Concedi, quòd venditor in instanti translationis habeat dominium rei venditæ; & simul pretii pro illa, sed *non exclusivè*; hinc autem non sequitur, quòd habeat plùs, ac antè. Nam pretium stat loco ejus, quod prius habuit, nimirum loco dominii *exclusivè sumpti*. Unde nota, quòd quando quis transfert dominium in alterum, illud in hunc transferat, qualiter ipse habuit per ordinem ad eos, quibuscum non contrahit actu; & ideo in instanti donationis transfert dominium exclusivè sumptum per ordinem ad omnes, qui non sunt actu contrahentes super hac re; sed non per ordinem ad actu contrahentes.

83. Coll. 11. negandum esse, quòd translatio dominii importet duo realiter instantia; *unum*, quo dominium sit in donante, non in donatario; *alterum*, quo sit in donatario, non in donante, quia negatur, quòd translatio sit privatio dominii in donante, dum dominium per actualem contractum constituitur in donatario, ex n. 65.

84. Coll. 12. Si fieret, quòd eo instanti, quo Petrus unum aureum donat Paulo, fur eum aureum auferret Paulo, furem utriquè facere injuriam, adeoque teneri ad restitutionem, quâ in-

injuria realis, utriquè facta, tolleretur. Hæc autem injuria utriquè facta in eo stat, quod aureum non reliquerit penes Paulum, penes quem ambo domini eum voluerunt; ergo ad plus non teneatur, quam ad reddendum aureum Paulo, non autem ad reddendum aureum unum cuilibet.

QUÆSTIO. III.

De Dominio imperfecto.

85. **D**ominium imperfectum est legitima facultas directe, ac formaliter percipiendi commodum libertatis propriæ, ex aliquo usu rei, non tamen orani; qualiter sit in habentibus vel solum dominium directum, vel solum utile. Plurimæ sunt species dominii imperfecti. Ex his dicemus de aliquibus tantum; cuiusmodi est usus juris, usus fructus; jus emphyteutæ; pignoris, & hypothecæ; jus hædis fiduciarii, & fidei commissarii.

ARTICULUS I.

De usu, & usufructu.

86. **P**rænotandum i. *uti, & frui non esse o-*
*mni*no idem *in sensu legali*. Nam, qui potest *præcise uti*, non potest ullo modo fructus percipere, faciendo suos, consumendo, vel alienando, qualiter potest fructuarius, ut dicitur

etur §. iisdem illis. Instit. de usu & habitatione. Prænot. 2. Usum hic dupliciter sumi; alius enim est usus juris; & alius usus facti. Ille est legitima potestas utendi; iste est actualis usus, ut *equitatio*. Ille ab hoc separari potest; & vicissim.

Prænot. 3. Tam *usum juris*, quam *usufructum* (sumptum pro legitima facultate utendi, & fruendi) habere duplice statum. Nam vel est conjunctus, vel separatus à proprietate rei? id enim fieri posse constat ex §. I. Instit. de usufructu. Si primum? uterque dicitur *causalis*, denominatione sumptâ per applicacionem suæ causæ radicalis, quæ est proprietas rei, ut notat Castropalaus de Just. D. unica p. 5. n. 5. Si autem secundum? uterque dicitur *formalis*. Et hic usus, & ususfructus formalis juridicè constituit aliam speciem juris à *causalí*: hic enim dicit plenum dominium, ille non plenum; his positis.

§. I.

Ususfructus formalis est *jus utendi*, & *fruendi* alienâ re, salvâ ejus substanciali: usus autem juris, tantum utendi.

87. **U**trumque constat ex L. I. ff. de *usufructu*, & §. I. Instit. eodem: junct. seq. tit. de *usu & habitatione*. Dixi, *tantum utendi*. Est contra Turrianum de Just: & jure. D. 31. d. 2. n. 4. qui ly *tantum* non requirit ad distinctionē usus

usūs formalis ab usu fructu formali: sed ratio est, quia nisi addatur *ly tantum*, jus utendi manet indifferens ad conjunctionem, & non conjunctionem cuin *jure fruendi*; ius autem utendi, quā sic indifferens, non constituit diversam speciem à jure fruendi; uti patet in *animali* non constitente speciem diversam à specie hominis, ut indifferens est; aliás excluderet hominem, si ut indifferens constitueret diversam speciem ab homine; quia diversum excludit diversum. Ex hoc colliges differentiam usūs formalis, à causali. Nam iste simul includit proprietatem rei, non ille. Idem dic de usufructu. Colliges 2. usum, & usumfructum formalem dicere jus, & dominium rei solūm imperfectum & non plenum; cùm careant dominio directo, secundūm sc.

88. Dices; qui aliquā re *fruitur*, eādem *utitur*; ergo in definitione ususfructūs frustra ponitur *ly utendi*. R. N. cons. quia ususfructus est potestas ad *rem frugiferam*, & ejus *fructus*. *Fruetus* respicit, ut illis fruatur, eos faciens suos, consumens vel alienans; *rem frugiferam*, ut illā utatur, quin faciat suam consumat, vel alienet. Hinc quatenus respicit rem, dicitur *jus utendi*; quatenus fructus, dicitur *jus fruendi*. Licet ergo fruens etiam utatur, diverso tamen modo utitur re, & fruitur.

89. Not. præterea I. *Fruitionem*, hoc est, fructuum

Etuum perceptionem, eos faciendo suos, esse specialem usum rei, competentem soli usufructui. Ut notat Palaus cit. p. 23. §. 1. n. 1. Usufructarius tamen non sit Dominus fructuum, quamdiu pendentes sunt; hoc est, *non apprehensi, & collecti*; etiamsi maturi sint; &, ut colligantur, apti. Nam quamdiu rei fructiferæ uniuntur, censentur unum cum illa, & ad dominum seu proprietarium pertinent. Palaus cit. ex §. is vero.

90. Hinc colliges, jus creditoris, quod habet in pignore, vel hypotheca; aut depositarii, quod habet in deposito, non pertinere ad usum, nec ad usumfructum. Ita Less. l. 2. de Just. c. 3. d. 4. n. 17. quia nec ille habet jus utendi pignore, nec iste deposito.

91. Not. 2. Cùm dicimus usum formalem, ut distinctum ab usufructu, esse *ad usum facti præcisè*, non *ad fructum*; per usum non intelligi usum nudum ab omni commode. Cùm enim *ius juris* sit aliquod jus, eo ipso est ad aliquod commodum libertatis propriæ. 2. ipse usus facti, cum habenti, est quoddam commodum. Unde hi fructus non censentur exclusi, cùm dicimus usum, esse *jus tantum utendi*.

92. Commodum igitur, quod necessarium est, ut usuarius utatur re concessâ in usum, non venit nominē fructum, quos negamus usuatio; sed tantum *commodum rei*, quod scilicet nasci.

scitur ex ipsa re; ut *lana ex ove*; *premium ex domo locata*. Hinc aliud est *uti fructibus*, aliud *frui*. Ut dicitur, qui potest eos, secundum quod sibi necessarii sunt ad quotidianam sustentationem, convertere in suum usum; *frui* autem potest: qui facit suos, & uti potest etiam ad lucrum.

§. II.

Ususfructus quandoque constitui potest in re, quæ usu absumitur.

93. **Q**uædam res sunt, quæ unico usu consumuntur, ut *vinum*, *cibus* &c. quocumque reducitur *pecunia*; nam & hæc unico *usu proprio* absumitur, nimirum permutatione. Ad hunc enim usum, tanquam proprium, instituta est. teste Aristot. I. *Polit.* c. 7 & 4. *Ethic.* c. I. Per absumptionem autem intellige illam, quæ est dominii, non entitatis. Dixi *usu proprio*, seu *primario*, quem pecunia habet ex institutione sua; *non secundario*. Hinc communis doctrina est, usumfructum constitui posse solum in illis rebus, quæ non consumuntur usu, (excipe, nisi succedat aliquid æquivalens, vel debita cautio, quâ exceptione firmatur conclusio.) Ratio primi est, ex §. constituitur. Inst. de *usuf.* ibi *exceptis his, quæ usu consumuntur*. Sermo autem erat de materia hujus quæstionis, ergo. Et ratio est; quia *ususfructus propriè est in re aliena*,

na, sed salvâ ejus substantiâ; ergò non in re, quæ usu consumitur.

94. Ratio secundi est; quia tunc manet salva rei substantia non *in se*, sed *in aestimatione*, vel *cautione*. Ut dicitur §. cit. ubi tamen hic ususfructus dicitur *quasi ususfructus*. Hinc nota, cùm Ususfructus in re, quam usus consumit, constituitur, usumfructum formalem potius constitui in ejus aestimatione, non autem formaliter in ipsa re. Nam eo casu res potius transit in dominium fructuarii, & solum aliena manet in sui vicaria, vel cautione, vel aestimatione. Ex hoc autem sequitur, si res usu consumptibilis, in qua Titius habet usumfructum, sine culpa Titii pereat, *eam Titio perire* (cùm res domino pereat) secùs, si Titio periret sine sua culpa res, quæ terminat usumfructum propriè dictum. Ea enim tali casu perit proprietario, non usufructuario, propter rationem oppositam.

95. Notandum autem 1. usumfructum dupli modo constitui; *lege & conventione*. Legalis est, qui constituitur legis dispositione (sic Pater in bonis adventitiis filii familias habet usumfructum legalem) Conventionalis autem dicitur, qui constituitur conventione partium, aliove pacto inter vivos. §. *ususfructus*. Instit. de *usufructu*. vel etiam successione, & legato, ut dicitur *toto tit. ff. & C. de usufructu*.

96. Not. 2. Usumfructum posse esse tempo-

traneum; quia licet ceterae servitutes reales perpetuae sint juxta L. 4. ff. de servitutibus. Ususfructus tamen constitui potest, ut ipso jure deficit, ut habet glos. V. verè ad L. 5. ff. eod. Confirm. Nam emphyteuta potest in re emphyteutica usumfructum constituere, qui tamen ipsâ morte emphyteutæ resolvatur. Sic Molina L. I. de Primogenit. c. 29. n. 23. sed hic ususfructus est temporalis; ergo.

§. III.

Proprietarius inconsulto usufructuario potest alienare rem usufructuariam; non econtra.

97. **C**onstat ex L. 2. C. de usufruc. ibi: *usum fructum tibi legatum esse, non impedit proprietatis dominum, obligare creditori proprietatem, manente integro usufructu tui juris.* Et ratio est, quia est Dominus rei quoad proprietatem; nec ullâ lege, vel jure ab hoc prohibetur. Excipe tamen filium familias, qui hoc non potest sine Patri expresso consensu. ut dicitur L. feri. §. *filius autem.* C. de bonis; qua liberis; & ratio est, quia filius bonorum adventitiorum, esto proprietatem habeat, administratione caret, & consensum illum lex ob reverentiam Patri debitam exigit.

98. Usufructuarius tamen usumfructum alienare nequit inconsulto proprietario; constat

ex L. si ususfructus C. de jure dotium, ibi: quoniam diximus, usumfructum à fructuario cedi non posse, nisi domino proprietatis; & si extraneo cedatur, non ad eum transire, sed ad dominum proprietatis. Et ratio est, quia ususfructus est servitus personalis, consequenter personæ inhæret, nec eam egreditur, ut dicitur L. I. ff. de servitutib.

99. Ex citato prius textu tria collige 1. à fructuario usumfructum cedi posse domino proprietatis 2. Si inconsulto domino directo, cedatur extraneo, cessionem jure nullam esse. 3. Eum tali casu *consolidari*, hoc est, redire ad dominum proprietatis, & amitti à fructuario. Potest tamen alteri concedere sui ususfructus commoditatem, hoc est. jus, ut alius, nomine *ipius*, fructus percipiat, & postea suos habeat vel contractu venditionis, vel simili. Ita Sanchez. L. 7. in Decal, c. 13. Palaus cit. §. 3. n. 4. hæc enim inter se differunt; nam ususfructus non extinguitur morte domini eum concedentis; secùs commoditas morte usufructuarii. Unde, quamvis beneficiarius non possit jus decimarum, nomine beneficii percipientiarum, in Laicum (utpote juris spiritualis incapacem) transferre; potest tamen ei vendere, vel locare commoditatem; ergo similiter usufructuarius. Quo casu & beneficiarius jus decimarum, & usufructuarius jus utile retinet.

100. Dices L. arboribus. ff. de usufructu dici-
tur:

tur : usufructuarius vel ipse fructi eare, vel alii frumentum concedere, vel locare, vel vendere potest ; ergo dicta N. 98. falsa sunt. & eam legem intelligi non de usufructu, sed ejus commoditate. Nam §. statim sequenti subjungitur : nam & qui locat, mutatur ; & qui vendit, mutatur. Sed & si alius primario concedat, vel donet, puto eum uti, atque ideo retinere usum fructum. Ergo loquitur de locatione, venditione &c. tanquam de usu, quo usufructuarius retinet usum fructum ; at hoc habet solus contractus, quo venditur, vel locatur commoditas, non ipsum jus utile, seu ususfructus ; ergo.

§. IV.

Ususfructus finitur, secundum terminum constitutum.

101. **H**inc si concedatur ad certum tempus, finitur, eo clapsō, ut patet ex terminis, & constat ex n. 99. nequit autem illud tempus exceedere vitam fructuarii ; cum ususfructus sit jus personale, non egrediens personam, ut habetur expressè in L. nsumf. ff. de ususf. legato : ibi ; quia & constitutus ususfructus morte intercidere solet.

102. Concessus autem, dum aliquod factum fuerit (v. g. dum Titius pubes fiat) exspirat Titio pubere facto ; non autem, si Titius ante pubertatem moriatur. Eo enim casu durat, dum

finiantur anni, quibus pubertatem obtinuisset, si vixisset; si autem aetio non habeat certum tempus (v.g. concedo tibi usumfructum, usq; dura Tuius nubat) ususfructus penes te manet, quam diu, te vivo, illud non verificatur. Ita Sylvester. V. ususfructus: n. 11. Horum ratio est, quia ad desitionem ususfructus requiritur corum veritas, vel tua mors.

103. Concessus absolute finitur 1. *Consolidatione*, cum scilicet simul proprietas rei acquiritur. 2. *cessione* in proprietarium. 3. *naturali morte usufructuarii*, ut dicitur §. finitur Institut. de usufruc. 4. *non usu* per tempus designatum ad prescribendum. 5. *interitu rei*, in qua constitutus est. 6. *per maximam, & minimam capitis diminutionem*, quibus intelligitur mors civilis §. finitur cit. Demum, si civitati, vel communitati concessus sit absolute (nisi aliud expressum sit) concessus censetur ad 100. annos; quia, ne proprietas inutilis sit, terminum habere debet.

§. V.

Ususfructus non extinguitur professione religiosâ Usufructuarii in Religione bonorum capaci.

104 **H**Anc sententiam tuetur Cynus, Baldus, Salycetus, Bartolus, Sylvester, Molina, Azor, & plurimi alii, quos citat, & sequitur Thomas Sanchez l. 7. decalogi. c. 13. n. 48.

n. 48. ante prob. not. 1. Monasterium habens
jus bonorum in communi, & successionis, suc-
cedere *in omnia religiosi bona* de quibus ante
professionem non disposuit, sive ab ipso ante
professionem, sive post, acquisita sint; sive ti-
tulo donationis, hæreditatis, aut quocunque
alio acquisierit. Constat aperte. §. *Ingressi*, &
§. *si qua mulier*. C. *de Sacrosanct. Eccles.* desumpt.
ex §. illud quoque. Authent. *de Monachis*; & §.
si qua. Authent. *de sanctiss. Episc.* Item c. *siqua
mulier.* & c. *quia ingredientibus* 19. q. 3.

105. Advertendum autem, has constitutio-
nes non habere vim, *quatenus solo jure civili in-
duelæ sunt*; ut rectè notat Azotom. 1. *instit.*
Moral. l. 2. c. 8. q. 1. (*quia exprefse constitu-
unt de Monachis*) *sed quatenus approbata sunt à
potestate Ecclesiastica.* Eas autem approbavit
D. Gregor. Papa, l. 7. *registri indict.* 2. *epist.* 7.
*quæ approbatio refertur in cit. c. quia ingredi-
entibus.* ibi *sed res eorum ejusdem Monasterii juris
fiant, apertâ legis definitione decretum est.* Id, quod
communi omnium Pontificum consensu rece-
ptum est. Hanc porrò successionem *in omnia ju-
ra sui professi*, extendit Sanchez cit. 15 c. 4. n.
6. ex privilegio Pii V. etiam ad casum, quando
ante finem Novitiatūs fit professio in articulo
mortis.

106. Nota 2. quod professus in religione
bonorum capaci, per professionem non amit-

tat jura suitatis, & agnationis; sed succedat tanquam suus heres; eademque per consequentiam personæ in monasterium professione suâ translatæ secum ferat ad Monasterium. Ita Wadingus de Contract. D. 5. d. 7. §. 2. n. 5. Sanch. cit. l. 7. c. 12. n. 5. ex l. finali. C de Episc. & Clericis, ubi annotat, ejusmodi professum perinde succedere, ac si religionem ingressus non esset. Ex quo deducit, quod monasterium, *sui professi nomine*, retineat omnes qualitates, & prærogativas filiorum; cum ex. n. 104. ad Monasterium secum ferat *omnia sua jura*, quæ ante ingressum habuit.

107. Limitatur tamen 1. ut non procedat de Monasterio, nec bonorum *in communi* capace. Nam *in tali Religione*, professio æquivalet morti naturali, quæ extinguit omne jus, vel communiter, vel particulariter habendi bona temporalia. 2. ut solùm procedat, quamdiu talis professus naturaliter vivit; cum Monasterium prædicta sui professi jura habeat, *non suo*, *sed persona in ipsum translata nomine*. 3. ut solùm procedat in casu, quo religiosi talis Religionis non habent in particulari bona. Si enim illa habeant, in hæc non succedit monasterium; sed ipse Religiosus.

108. Not. 3. Statutum excludens à parentum successione filium, religionem ingressum, esse iniquum, & irritum. Ita citatis in favorem hujus sententiæ

tiæ plurimis legistis, & canonistis, expressè docet Sanchez cit. n. 18. Nam tale statutum laicorum nequit unquam ejusmodi filium ligare. Vel enim ligaret eum ante professionem? vel dum profitetur? vel post professionem? de primo videtur certum, quod non. Nam quovis instanti professionem antecedente manet successionis capax, utpote sui juris æque, ac non religiosus. In ipsa autem actuali professione, & post illam, nullo modo subest jurisdictioni laicorum. Nam leges civiles, licet favent clericis, etiam expressam ipsorum mentionem facientes, nisi recipientur ab Ecclesia, ipsos non ligant, cum ferantur in non subditum.

109. Si dicas cum sententia contraria: et si tale statutum sit irritum, si sic disponat: *ingressi religionem, non succedant*: si tamen sic disponat: *ingrediens religionem non succedat*, valet. Quia priori casu statutum afficit jam effectos religiosos, in quos statutum laicorum jurisdictione caret, sicut & potestate ligandi religiosos, & quascunque personas Ecclesiasticas: at in posteriori casu afficit eos ante ingressum, quo tempore seculares sunt. Ita. Bartol. I. fin. lectura. I. n. 6. c. de pactis.

110. R. Licet ejusmodi statutum fiat in religiosos ante ingressum religionis, & consequenter tempore habili; quia tamen ejus effectus confertur in tempus inhabile, nimirum in tem-

pus post ingressum (nam ante hunc, non ligat absolutè, sed solum conditionatè, sub conditione, quæ ponitur, dum non subsunt amplius jurisdictioni) omnino irritum erit. Idem enim est, aliquid fieri tempore inhabili, & ejus effectum conferri in tempus inhabile, per l. quod sponsa. C. de donat. ante nuptias.

111. Not. 4. Monasterium accessoriè succedens in bona sui professi, nimirum ratione personæ religiosâ professione in ipsum translatae; non succedere ut heredem propriè, nec jure hereditario; sed jure cuiusdam acquisitionis naturalis, & accessoriæ personæ. Constat ex Authent. Ingressi. C. de sacrofanci. Eccles. ibi ipso ingressu se, suaq; dedicat Deo. Ubi nota. ly ipso ingressu, idem esse, ac ipso facto, ut const. ex Authent. De monachis. §. illud quoq; ibi: Ingredientem simul sequuntur res. Nam heredes non acquirunt ipso facto, hereditatem reliqtam, vel possessionem. l. cum heredes. ff. de acquirenda possessione. Secùs autem est in casu, quo monasterium succedit in bona professi, quæ habuit ante ingressum; ut dictum est. Ita Sanchez l. 7. decal. c. 12. Wadingus de contract. d. 5. d. 7. §. 2. n. 3. & apud illum legistæ cum Bartholo in auth. squa mulier. C. de Sacrofanci. Eccl. Baldus. l. Filium ff. qui sui sunt: volentes ejus bona per consequentiam personæ transire in monasterium, sicut in arrogantem bona, & jura arrogati. Instit. de acquisit: per arrogat:

112. Dixi, quando monasterium succedit *accessoriè*, nimirum ratione personæ in ipsius translatæ. Secùs enim quoad acquisitionem possessionis *ipso facto* failit 1. si transferens se, suamque personam, sibi providit, expressè & principaliter etiam transferendo bona. Ita Sanch. cit. n 25. Nam tali casu, *absque traditione*, non acquirit monasterium dominium, & possessionem. Fallit 2. si monasterium tempore professionis contradicit acquisitioni bonorum. 3. Fallit in aliis bonis, quæ accedunt primò post professionem. Nam in his *ipso facto* acquiritur solum dominium; sed possessio capienda est. Ut docet Abbas. c. *in præsentia*. *De probat*: n. 74. his præmissis.

113. Prob. assertum in titulo articuli. Monasterium *ipso facto*, seu ingressu personæ in ipsum translatæ, *accessoriè*, & per consequentiam personæ, sine ulla exceptione alicuius iuris, succedit *in omnia bona sui professi*, quæ ante ingressum habet, & de quibus ante non disposuit, ex n. 104. & seq. sed inter professi bona, ususfructus est aliquod bonum, quod habuit ante ingressum, ut ponitur in casu; ergo si de illo ante ingressum non disposuit, per consequentiam personæ, & *accessoriè* transit in Monasterium; ergo religiosâ professione non extinguitur. Et ita docent Gloss. auth. *ingressi*. V. *dedicant*. Cynus. Bald. Salycet. Navar. Molina, Azor,

Azor, & plurimi alii, quos cit. & sequitur Sanch. cit. c. 13. n. 48.

114 Dices. I. ususfructus est jus personallissimum, ac ita personae cohærens, ut nec cessione, nec alio modo possit in aliud transire; ergo extinguitur professione religiosam etiam in religione successionis capaci; pat. conseq. Quia tali casu, *nec potest remanere in professo*, cum sit redditus incapax cujuscunque proprii habendi; *nec potest transire in monasterium*, quia sic transiret in aliud, quod juri personali repugnat; ergo.

115 Trans. ant. n. cons. & dico, quod tali casu transeat in Monasterium per consequentiam personae. Quare not: Monasterium posse dupliciter comparari ad illum usumfructum recipiendum. 1. *ratione sui*, & non ratione personae, in ipsum translatæ, 2. non ratione sui, sed *ratione personæ in ipsum translatae*. Si consideretur hoc secundo modo, manifestum est, quod monasterium, ratione sui professi, per consequentiam huius personae habens usum fructum, non sit alia persona ab usufructuario; cum usufructuarius sit formalissime illa persona, ratione cuius Monasterium habet usumfructum, quamdiu ille naturaliter vivit. Quare in dato casu non est simpliciter verum: *monasterium habet usumfructum*; sed cum addito, *per consequentiam personæ*, quo notatur ius personæ in ipsum translatæ esse in monasterio *per ipsam personam*

trans-

translatam, non sine ipsa ; sicut ius partis est in toto ipsam includente, sed non sine illa.

116. Dixi *transeat. ant.* Nam quando dicitur, quod ususfructus sit jus personale, & non egrediatur personam, nec transcat in alium, verum est, si sermo sit de transitu per cessionem, vel transmissionem in alterum, *anferentem ipsum a cedente, vel priori Domino*; non autem, si cum ipsa persona transeat in alium, illud habentem solùm per consequiam personæ, & acquisitione naturali. Nam hoc ipso, quod leges cit. n. 104. concedant Monasterio, sine ulla exceptione *omnia jura, & bona professi, quando se Deo dedicat*, eo ipso declarant, usumfructum non sic esse personalem, ut cum ipsa persona, & ratione illius, quamdiu haec naturaliter vivit, esse nequeat in Religione, cui se dedicat, & in qua est ipsa persona usufructuaria; quia sic non abit à persona, sed stricto jure illud habendi communiter, ab eadem retinetur, etiam post professionem.

117. Quia Professio in Religione bonorum capaci, non æquivalet morti naturali; (ut malè supponit Iul. Clarus l. 4. §. Feudum. q. 78.) nec professum reddit incapacem *omnis domnii*; alias faceret eum incapacam juris, *habendi communiter bona temporalia*, quod est certò falsum. Nam talis professus etiam post professionem retinet jus suitatis, & succedit Patri jure sui-

suitatis, ut const. ex num. 106. & omnia bona possidet jure illa habendi communiter.

118. Nequē dicas: Uſufructuarius post professionem nihil amplius disponere potest, de illis bonis, sed disponit Prælatus, vel solus, vel cum capitulo. Nam hoc non arguit, illi professione ablatum esse *jus disponendi, et habendi communiter* uſum fructum, vel illud esse penes Monasterium aliter, quam ex pura consequentia personæ. Hocevidens est ex eo, quod professo naturaliter mortuo, nec Prælatus, nec Capitulum, nec ambo simul, quidquam disponere valcant de tali uſufructu.

Deinde immetò dicitur, quod Uſufructuarius post professionem non habeat *jus disponendi communiter*, quamvis hujus uſum (ratione ipsius) administratoriè exerceat Prælatus cum Capitulo. Imò esto uſus prædicti juris illi professo, præcisè vel prohibetur, vel etiam annuletur, adhuc tamen in eo stat *jus ad talem uſum disponendi communiter*, ut ostensum est num 51. Ex quo tandem concluditur *Monasterium*, in quod per consequentiam personæ in ipsum translatæ, simul transeunt hujus bona, *quoad hunc juris effectum, non esse personam aliam à professo, sed eandem*; cùm ejus jura habeat solum per consequentiam personæ.

119. Dices 2. Si uſusfructus religiosâ professione Uſufructuarii non extingueretur, sed trans-

transiret ad Monasterium, duraret 100. annis, sicut ususfructus concessus Ecclesiæ. R. N. sequelam. Nam ususfructus Ecclesiæ, vel Monasterio directè, & ratione sui concessus, durat 100. annis; non autem concessus solum indirectè, & per consequentiam personæ in ipsum translatæ. Hinc enim est, quod in posteriori casu talis ususfructus pendeat à vita naturali talis personæ, & extinguitur illâ naturaliter extinctâ. Ita Bartolus in auth. *Ingressi.* in 2. legitur. *num. penul.* & plures alii, quos cit. & sequitur Sanch cit. c. 13. n. 50.

120. Instabis. Dato, quod, quando Ususfructuarius in Monasterio bonorum capaci profitetur, ususfructus obveniat Monasterio; hic tamen ususfructus non erit *translatus*, sed *novus*; qualiter fit, quando ususfructus constitutus Titio, & suis hæredibus, illo mortuo transit ad hæredes, ut dicitur L. *stipulatio ista.* §. sed et si quis. ff. de *Verb. oblig.* & L. qui *usumfructum* §. 1. ff. de *Usufructu*; vel certè cum ab uno transit in alium de consensu domini ut habetur L. *usufructu* ff. *soluto matrimonio.*

121. Verum, quod assumitur, meritò negatur cum allata paritate; nam in his casibus allatis propterea ususfructus est *novus*, quia transit ad hæredes *facto hominis*, (puta stipulatione, vel consensu domini) non autem per consequentiam personæ, cui cohæret; qualiter fit in casu nostro.

AR.

ARTICULUS II.

De Jure Emphyteutico.

122. **E**mphyteusis, est contractus, quo alteri in re immobili constituitur ius, seu dominium utile, cum onere solvendi domino directo statutis temporibus, canonem, seu pensionem realem, in recognitionem dominii directi penes eum remanentis. Hinc in eo differt à feudo, quod hoc non exigit realem pensionem, sed vasalli obsequium personale; quamvis Haunold. to. 3. tr. 9. n. 551. ponat etiam aliam notabilem differentiam emphyteusis à feudo. Nam successor in feudo, esto in investitura primi acquirentis sit comprehensus, semper tenetur intra annum petere possessionem, & investituram à Domino directo sub poena cadiitatis; &, si dominus moriatur, ab ejus successore in dominio directo; cùm à Vasallo sit præstandum juramentum fidelitatis; at successor in emphyteusi (qui in 1. investitura est comprehensus u. g. quia concedebatur Titio, & ejus hæredibus) non tenetur petere possessionem, vel investituram à domino directo. His præmissis.

§. I.

Emphyteuta cadit in commissum, ius suum alienans inconsulto domino.

123. **I**ntellige, nisi servet conditiones præscriptas c. potuit. De locato, & conduct. & l. 3. C. de *Iure Emphyt*: quæ sunt sequentes: 1. ut requirat consensum proprietarii. 2. ut ei indicet verum pretium oblatum. 3. ut expectet responsum per 2. menses. 4. ut vendat in personam non prohibitam. 5. ut sua tantum jura vendat, nimis melioramenta. 6. ut antè à suo jure non ceciderit; quæ omnia, si concurrant, venditio erit firma, & citra poenam commissi. Ita Sichardus in l. *cum dubitabatur*. C. de *Iure Emphyt*. n. 31.

124. Hæc tamen, de poena commissi ex alienatione facta, limitantur. 1. ut non procedant in alienatione, non secutâ traditione; vel solùm attentatâ, quæ ex alio capite est nulla; quia sic nihil agitur contra legem, quæ sub ea poena prohibet alienationem. 2. si alienet, *non accepto prezzo*. Nam poena statuitur alienationi *cum pretio*, ut pat. ex priori num. 3. si inconsulto domino ius suum exponat venale. Colligitur ex l. 3. cit. ubi dicitur, debere attestacionē domino transmitti, & prædicere, quantum *pretium ab alio revera accipi potest*. Hoc autem non posset, nisi prius exponeret venale 4. si vendat alteri, post lapsum tempus, datum deliberationi domini directi. esto hic non dicat expresse, se nolle emere Constat. ex c. potuit. de locat: ibi: *nisi se nolle dixerit, vel à denuntiatione tempore due*.

duorum spatium mensum sit elapsum, seclusâ fraude, ac dolo.

125. Ampliatur verò 1. ad casum emphyteutæ, non servatis prædictis conditionibus alienantis cùm traditione, licet mox redimat. Nam pœnitentia non facit, ut non alienaverit, alienatione perfectâ. Quod verum esse censet Silvius in l. fin. C. de jure emphyt. n. 3. de rigore juris, & ubi lex casum non excipit; non autem ex aequitate. 2. ad casum, quo falsum pretium denuntiat. Nam talis denuntiatio habetur pro non facta. 1. ubi autem conditionalis. Et l. eum, qui, §. cùm igitur. ff. de in diem. addit. notandum autem, emphyteutam ad hanc commissi pœnam non teneri in conscientia, nisi cùm dominus directus exegerit, ut dicemus num. seq.

§. II.

Emphyteuta, non solvens canonem, cadit in commissum.

126. Constat ex c. potuit. de locat. & L. 2. de jure emphyt. Solvendum esse canonem, seu pensionem aliquam, in recognitionem dominii directi, remanentis apud proprietarium, habetur ex §. 3. Instit. de Locat. Ejus quantitas pendet ex arbitrio contrahentium; & constitui potest non solum in pecunia, sed etiam in rebus aliis. Tempus autem solvendi canonis à ju-

Item non est definitum, sed pendet à mente contrahentium, vel à loci consuetudine, ubi contractus initus est, si de tempore solutionis conventum non sit. Notandum autem esse discrimen inter emphyteusim communem, seu non Ecclesiasticam, & Ecclesiasticam; quod ad hoc, ut propter non solutum canonem cadat in commissum, ibi requiratur triennium canonis non soluti; hic autem sufficiat biennium, ut liquet ex c. potuit. quod verum est, licet emphyteuta à domino directo non sit interpellatus. Constat ex eod. ibi: *non obstante, quod ei non existit nuntiatum.* Ad hanc pœnam in conscientia tenetur etiam ante sententiam Judicis; non tamen ante exactiōnem, vel instantiam proprietati*i* pars coll. ex L. 2. C. de jure emphyt. nam ibi, *ly suo iure cadat*, non ad Judicem, sed ipsum emphyteutam dirigitur; & quoniam additur *si dominus voluerit*, videtur lex eam pœnam non statuere, nisi proprietarius exigat.

§. III.

Neglectus non soluti canonis non semper inducit pœnam commissi.

I²⁷. **N**AM I. pœna commissi propter non solutum canonem locum non habet, si proprietarius est debitor emphyteutæ in tantum, quantum fert canon. Tunc enim hic uti potest compensatione, etiam ad evadendam

pœnam. Quia sic non negligit solutionem. Azor *Instit. moral.* l. 10. c. 6. q. 4. 2. non habet locum, si non solvit ex justa causa. v. g. si hæres non scivit rem esse emphyteuticam. Nam licet in rigore juris tali casu res habeatur pro commissa, (emphyteuta enim sibi debet imputare ignorantiam conditionis rei) ex æquitate tamen in integrum restituitur ob justum erorem, vel ex generali clausula. L. 1. ff. ex quib. caus. majores. Nam ubi abest culpa, locum non habet pœna commissi. gl. in L. 2. V. legem 2.C. de jure emphyt. Jul. Clarus. l. 4. sentent. §. emphyteutis. q. 8. n. 9. 3. locum non habet, si emphyteuta non fuit in mora solvendi, sed dominus in recipiendo. Sic enim caret culpâ; igitur & pœnâ. gl. in cit. L. 2. V. eod. Vid. Jul. Clar. q. 8. n. 10. 4. locū non habet in emphyteusi Ecclesiastica, etiamsi ad terminum emphyteuta non solverit, modò celeriter post eum satisficerit, vel moram purgaverit. Sic enim de illa habetur c. ult. *de loc. & cond.* Tempus autem, intra quod mora purgari potest, est 10. dierum, juxta gl. in cit. c. ult. V. celeri. hoc enim modicum reputatur (ut dicitur L. *promissor.* 21. §. 1. ff. *de constit. pecan.*) vel potius arbitrio Judicis relinqui debet; cum illud in jure non determinetur. gl. l. c. Abbas ibid. n. 12. Azor. c. 7. q. 7. Clarus q. 8. n. 15. Et procedit etiam in aliis debitibus. Nam *paria sunt*, *solvere tempore consti-*

stituto, & intra paucos dies. L. si dno 16. cum seq.
 junct. gl. marg. ff. eod: sed excipe 1. modò in-
 de creditori non causetur notabile damnum.
 Excipe 2. emphyteusim Laicam; huic enim,
 cùm triennium præfigatur, non conceditur
 prædicta moræ purgatio, spectato rigore juris
 civilis, ut not. Fachineus l. 1. controv. c. 168.
 secùs est secundùm æquitatem, ut dixi ex Si-
 chard. super. n. 125.

§. IV.

Caducitas emphyteutæ, non provenit so-
 lùm, ex non soluto canone.

128. **C**onstat. 1. ex dict. n. 123. Deinde
 emphyteuta cadit etiam de jure suo,
 & rem emphyteuticam amittit ita, ut expelli-
 possit, si res vel fundus emphyteuticus, per do-
 lum emphyteutæ, vel etiam culpam latam, aut
 levem notabiliter deterior factus sit. v.g. succi-
 dendo arbores frugiferas, vel negligendo repa-
 rationes debitas; quia sic non satisfecit legi
 contractus, de re melioranda. Sed hoc intel-
 ligere de deterioratione perpetua, non tempora-
 li; ut, si solùm fundus sit deterior non quoad
 substantiam, sed ad percipiendos fructus, & ad
 tempus. Ita Mynsingerus cent. 6. observ. 86.
 Procedit autem hoc de Emphyteusi Ecclesiasti-
 ca (juxt. auth. qui rem. C. de SS. Ecclesiis) &
 Laica; arg. L. item queritur. 13. ff. de loc. & cond.

Azor. l. 10. c. 9. q. 1. Clarus, q. 26. Nam conductor reabutens, expellitur. L. cit.

§. V.

Per professionem religiosam, jus emphyteuticum cum emphyteuta transit ad Monasterium capax bonorum in communi.

129. **L**oquimur 1. de homine, qui habet ius emphyteuticum ante ingressum in Religionem, capacem bonorum in communi. Loquimur 2. in casu emphyteufis hæreditariæ, in cuius constitutione non est adjecta clausula, ne transferatur in Ecclesiam; quo posito, ratio nostri asserti est, quia Monasterium, capax bonorum in communi, per professionem religiosam ipso facto succedit *in omnia bona sui professi*, ante ingressum habita, de quibus antè non disposuit, idque sine ulla exceptione, ut prob. est n. 104. sed inter bona emphyteutæ professi, ante ingressum ponitur emphyteufis, de qua loquimur; ergo Monasterium, capax bonorum in communi, per professionem religiosam emphyteutæ, ipso facto, seu ingressu, succedit in ejus emphyteufism, si ante ingressum de illa non disposuit. Ita sine limitatione tenet Layman l. 3. tr. 4. c. 43. n. 15. Iason in L. 2. C. de *Jure emphyt.* & alii, quos cit. & sequitur Streinius p. 2. Jur. can. tit. 10. §. 2. n. 6. ex e. *Beneficium V. conferendum de Regularib.* in 6.

130. Ab-

130. Abbas c, in præsentia. de probat. & Jul. Clar. l. 4. receptar. §. emphyteusis. q 33. docent, emphyrensim non modò Ecclesiasticam, sed etiam sacerdalem in hoc casu transire in Monasterium, sed revocabiliter; ita, ut sit in optione domini directi, consentire translationi, vel cogere Monasterium, ut alienet à se, transferendo illam in personam non magis privilegiatam, ac fuerit primus emphyteuta. Rationem dant, quia si Monasterium ad hoc non posset cogi, conditio domini directi redderetur deterior, quia periret spes laudemii, unquam sibi solvendi; & utilis dominii ad se redituri.

131. Verum hæc clausula (sed revocabiliter) immerito apponitur; cum omnia professi jura, sine ullius exceptione, clarissimâ legum dispositione. per canones receptâ, sequantur personam professi Religionem capacem bonorum in communi; nec alio jure cautum sit, licere habenti dominium directum (præterquam Ecclesiæ) revocare rem emphyteuticam sic translatam. Nam Ecclesiæ, tanquam aliquid speciale, concessa est facultas revocationis, intra biennium. §. 1. auth. de alienat. & emphyt.

132. Nec urget ratio in contrarium, quâ dicitur, quod, si res emphyteutica, cum emphyteuta professo, non revocabiliter, transiret in Monasterium, conditio domini directi fieret deterior. Quia hoc fallit, quo ad laudemium. Nam domi-

nus directus jus laudemii , recipiendi deinceps ,
 titulo hujus emphyteutæ semel ritè investiti ,
 nec habet , nec habuit , nisi cùm ab hoc jus em-
 phyticum transfertur in aliam personam ; sed
 hoc totum illi salvum manet , esto cùm Emphy-
 teuta per consequentiam personæ transeat in Mo-
 nasterium , ut patebit ex num. 141 . ergo quo-
 ad hoc punctum , etiam stante asserto nostro ,
 conditio domini directi non evadit deterior.

Sed nec evadit deterior , ex altero capite ,
*quod deficeret spes utilis dominii ad se unquam redi-
 turi*. Nam talis emphyteuta translatus in Mo-
 nasterium , vel habet jus utile sibi constitutum
 ad certum terminum ? vel sine termino ? si pri-
 mum ? fiet caducum , lapsu præfixi termini ; si
 secundum ? caducum erit juxta dicta n. 103 .
 Cœterūm , esto in dato casu , conditio domi-
 ni directi (negato illi jure revocationis) evade-
 ret deterior , ipse sibi imputare debet , quòd
 hoc non deduxerit in pactum . Et ideo hanc
 sent. apud Sanch. cit. tenent Baldus Auth. *in-*
gressi n. 22 . C. de SS. Eccles. Salycet : Decius ,
 Sylv. V. Religio. 6. q. 1. dict. 2. Azor. *Instit. Mo-*
ral. Tom. I. L. 12. c. 8. q. 4. &c.

133. Hinc si emphyteusis concessa sit illi
 professo ante ingressum , pro se & suis hereditibus ,
 transire illam in monasterium perpetuo , & irre-
 vocabiliter , sive sæcularis sit , sive Ecclesiastica ,
 docet Bartol. authent. *ingressi* . in secunda le-
 ctu-

etura, n. 37. Beroius C. *in præsentia*. De probat. n. 419. Excipe, nisi ex alio capite fiat caduca; v. g. non soluto canone. Ratio est, quia concedens potuit cogitare, quod talis emphyteuta habere possit in hæredem monasterium, quod nunquam perit. Ex quo sequitur idem dicendum, non tantum in casu emphyteufis à professo ante ingressum habitæ; sed etiam post ingressum acquisitæ per hæreditatem.

134. Dixi, quando non est adjectum pactum, ne transeat in Ecclesiam, vel monasterium. Hinc quæstio est, an ejusmodi pactum obstet, quo minus emphyteutæ professione transeat in monasterium? R. negativè cum Sanch. cit. c. 15. n. 65. contra Haunoldum. tom. 1. de Just. tr. 4. n. 27. cuius ratio jam soluta est à n. 132. Nam illa translatio in pactum dedueta intelligitur *de translatione voluntaria*, & nascente ex facto hominis; non autem *necessaria*, seu inducta à lege, in consequentiam personæ translatae, & pro ejus vita; cuius ratio est, quia eo jure, ratione personæ translatae monasterium habet bona sui professi (quamdiu ille naturaliter vivit) quo jure illa possessurus erat professus, si mansisset in saeculo juxta n. 106. sed non obstante pacto, ne alienet, vel transferat in Ecclesiam, illa possessurus erat toto vitæ tempore; ergo illa similiter habere potest monasterium ratione personæ in ipsum translatae, quamdiu professus naturaliter vivit.

§. Vi.

§. VI.

Cum res emphyteutica transfertur in aliam personam, domino directo debetur laudemium,

135. Laudemii debitum fundatur in l. 3. C.
Le jure emphyteut. ubi postquam definitum est, quod Dominus directus emptorem juris emphyteutici, debite venditi, teneatur in possessionem suscipere, additur: & ne avaritia renti domini magnam molem pecuniarum propter hoc efflagitent, non amplius eis liceat, pro subscriptione sua, vel depositione, nisi quinquagesimam partem pretii, vel aestimationis loci, qui ad aliam personam transfertur, accipere.

136. Ex hac juris communis constitutione coll. 1. Laudemium deberi, quando locus (intellige, res emphyteutica) transfertur in aliam personam. 2. Hoc laudemii debitum fundari in investitura novi emphyteuta, ut habetur l. cit. 3^a, quantitatem laudemii praestandi lege taxari, ne propter hoc domini ex avaritia magnam molem pecuniarum efflagitent; esto hodie in multis locis etiam decimam pretii, vel aestimationis partem, admittat confuetudo.

137. Sed notandum, hanc juris communis constitutionem limitari 1. ut non procedat, cum resoluto contractu, vel pacto de redimendo, res redit

redit ad venditorem. Ita Lessius hb. 2. de jure & Just. c. 24. n. 57. Streinius p. 2. in summa juris can. tit. 10. §. 2. n. 4. Sylvest. v. Emphyteusis. n. 28. ex Bartol. & aliis, sed intellige in casu, quo causa retrovendendi non est nova. Unde Hau-nold. tom. 3. tract. de emphyt. n. 550. univer-sim docet (si concessum fuit emphyteutæ in prima constitutione, ut possit alium nominare) non debet laudemium, esto emphyteusis relin-quatur alteri titulo legati, hæreditatis, vel no-minationis; quia non celebratur novus contractus.

138. Limitatur 2, ut de jure non debeatur laudemium, quando rem emphyteuticam inter se dividunt hæredes. Ita Less. Sylv. Strein. cit. & alii: cùm hæc alienatio sit necessaria. Nam in casu alienationis necessariæ, jure communi, non de-beri laudemium, passim docent legistæ, & ca-nonistæ, volentes deberi solum cùm alienatio est voluntaria, ut etiam docet Bartol. in l. & ideo ff. de cond. furt. Sylv. Less. & expressè Sichardus cit. n. 35. alienationem vocans necessariam, ad quā me lex adigit; qui doctrinam suam firmat. l. fin. de litig. ubi dicitur, quod, licet nec res, nec a-ctio litigiosa possit in alterum alienari sub poena, quæ ibi exprimitur; illa poena tamen non ex-tendatur ad eos, qui alienant de necessitate, (ni-mirum lege ad hoc adigente) id quod apud Si-chardum cit. n. 36. etiam docet Jafon, affir-mans non deberi laudemium in casu alienatio-nis

nis necessariæ. Vide dicenda n. 141.

139. Limitatur 3. ut non debeatur laudemium, quando hæres necessarius rem emphyteuticam accipit titulo hæreditatis. Ita Less. Sylv. Strein. cit. Quia debitum laudemii fundatur in labore domini novum emphyteutam mittendi in possessionem; ita communis cum Sichardo. cit. n. 32, & gl. in l. fin. de re emphyt. V. estimationis. Sed hoc in dato casu non requiritur, cum talis hæres authoritate propriâ possit adire hæreditatem, ut dicitur in authent. de her. & fa: §. in omnibus; ergo. Hæc limitatio universalis est ita, ut procedat, quotiescumque is, qui succedit, in priori investitura est comprehensus; nam laudemium eo tantum casu debetur domino directo, quo res emphyteutica transit in emphyteutam *novum*; sed qui in priori investitura comprehensus est, non est emphyteuta *novus*. Ergo hic non cogetur solvere laudemium. Ita in terminis Sichardus cit. n. 34. Strein. cit. n. 4.

140. Limitatur 4. ut laudemium non debeatur, si transit res emphyteutica ad aliquam communitatem per consequentiam personæ, quam sequitur ius suum, eique cohærens. Ita Sanch. l. 7. De cal. c. 15. n. 65. Tum quia sic manet idem emphyteuta, & communitas illum habens, habet ius emphyteuticum, *ratione illius*, non *ratione sui*, ut dictum est n. 115: Tum quia sic penes talem communitatem est ius emphyteuticum,

non ex alienatione; sed ratione partis, seu personæ in ipsum translatæ; quo casu manifestum est, quod jus emphyteuticum in totam communitatem illam non transeat ex eo, quod illud à se alienet pars in ipsam translata, sed quod illud secum per consequentiam suæ personæ (cui, quamdiu naturaliter vivit, cohæret) secum ferat; & se inferendo illi, secum inferat toti; & sic clarum est, non intervenire alienationem, vel mutationem; sed tantum naturalem acquisitionem, ob quam nullum deberi laudemium, indubitate videtur, ex n. 136. ergo.

141. Dices Limitationes istas procedere quidem de jure communi; sed non consuetudinario. Nam per Cæsarea generalia, præsertim Ferdinandi II. de 9. Aug. 1624. pro tota Styria concessum est, ius exigendilaudemium à quolibet, ubi fit venditio, vel mutatio. ibi: vnd dise gnadigste Verwilling gethan: daß von allen/vnd ieden Pergrechtern/ von nun an / in fünfsteriger Verkauffung/ oder Veränderung/ in dem ganzen Land Steyer / der 10. Pfennig abgefordert / vnd eingenommen werden möge. Et ab his generalibus nulla mutatio (Veränderung) immunis est; nisi 1. cùm parens, vel mater, unum tantum filium, vel filiam; nepotem aut neptem relinquat. 2. si relinquat plures, quamdiu manent in communione. Hæc explicatio hujus vocis (Veränderung) facta est 1. per

per declarationem Ferdinandi III. de 8. Junii 1646. & rursum per declarationem Leopoldi I. de 21. Nov. 1659. Ex quo sequitur, etiam in eo casu laudemium deberi, pro quo descendentes, qui post obitum majorum suorum, vineam v. g. emphyteuticam indivisim possedebunt, per divisionem à communione recedunt.

R. Verum esse, ius illud exigendi laudemium (quod in cit. rescriptis Ferdinandi III. & Leopoldi I. vocatur *privilegium*) à Ferdinandō II. ut dictum est, generaliter concessum esse pro Styria. Sed not. 1. ex materia substrata, & natura rescripti, ad querelam Principi depositam, sensum ejus erendum. Propositum fuit, ex vineis, quæ pluribus oneribus subjectæ fuerant, fieri alia novalia, vel econtrà, & ab emphyteutis vinearum, in venditione novalium vel novarum vinearum, laudemium negari &c &c. ac inde longas nasci lites &c. cui malo medium positurus Princeps, statuit, etiam hoc casu venditionis, deberi laudemium. Ex quo sequitur per hoc rescriptum, verbum *mutatio*, seu *Veränderung* / in statu juris communis relictum esse; & solum declaratam esse, *materiam*, supra quam cadit mutatio habens annexum onus pendendi laudemium. Quare per hoc limitaciones à n. 137: positæ, non evertuntur, cum non versentur circa materiam mutationis; sed ipsam mutationem.

Not.

Not. 2. quod domini directi, post ea Generalia Ferdinandi II. publicata, illud verbum *alienatio*, vel *mutatio* (Veränderung) valde amplius averint, & in emphyteutarum grave præjudicium extenderint, specialiter respectu der Erbfährl & in casu hæreditariæ successionis, ut expressè ponitur in omnibus rescriptis Ferdinandi III. & Leopoldi Cæsar. Quare status Imperatori supplices, ut pro communi tranquillitate dignaretur declarare, sensum verbi *mutatio*, (seu Veränderung) respectu der Erbfährl & hæreditariæ successionis, acceperunt tandem in præcitatibus rescriptis Cæsaream declarationem in objectione positam, quæ sic habet. Quod hoc verbum *mutatio* (Veränderung) de præstando laudemio, locum non habeat vi generalis rescripti. 1. Wann ein Vatter oder Mutter nur ein Sohn/ oder Tochter / oder Enckl vnterlassen thäte; 2. da mehr Kinder / oder Neppotes vorhanden wären/ welche dem von ihren Vatter oder Mutter/ Oehnl oder Andl ererbten Weingarten in communione behalten / vnd mit einander hauen vnd bauen würden.

Sed ex hoc male infert objectio, & multi alii: ergo, ut primum dividunt, per ipsam divisionem à communione recedunt, & consequenter ex illa vinea hæreditaria debetur laudemium. Nam huic sequelæ expressè præventum est, utriusq; Imperatoris rescripto, ubi declaratur, tunc solum

lum deberi laudemium per recessum ex communione, quando non per ipsam divisionem hæredum; sed post divisionem vinea vel ad unum ex his, qui erant in communione; vel ad extraneum venditione perveniret. ibi: Sobalt sie aber / nach beschéhner Abtheilung / den ererbten Weingarten einen auß ihnen / oder einem frembden verkauffen würden / solches alsdann für ein wahre Veränderung gehalten; vnd sie alsdann den 10. Pfennig darvon zugeben schuldig seyn; ergo non per qualem cunque recessum à communione; vel per ipsam divisionem; sed tantum tunc, cum post factam divisionem, per venditionem transit ad unum ex illis, vel ad extraneum. Ex hoc autem clarè sequitur, prædictis limitationibus per hæc Cæsarea Generalia non derogari; cum per ea circa juris communis constitutionem nihil sit immutatum; sed tantum declaratum, extensionem illam (de qua quæsum fuit) in propositis casibus non habere locum; & laudemium etiam deberi in casu, esto vinea transierit in novale, si alienetur; vele contra.

S. VII.

Cum emphyteuta per professionem religiosam secum fert rem emphyteuticam, monasterium non tenetur ad laudemium, quamdiu professus naturaliter vivit.

142. **L**OQUIMUR de Monasterio capaci bonorum in communi. Ratio est, quia laudemium non debetur, si res emphyteutica non transit in aliam personam. Const. ex l. fin. C. de re emphyt. relatâ superius n. 135. sed in casu, quo transit ad monasterium per consequentiam personæ, seu ipsius emphyteutæ professi, non transit ad aliam personam, ut probatum est. n. 140. & confirm. 1. ex dictis. n. 115. Nam si monasterium recipiens emphyteusim ratione ipsius personæ, seu emphyteutæ professi, esset alia persona; non posset recipere usumfructum per professionem usufructuarii; hoc autem falsum est ex dict. loc. cit. ergo.

143. Confirm. 2. quia laudemium non debetur, cum alienatio, vel mutatio est necessaria ex n. 138. Sed in casu, quo emphyteuta profitetur, & prius non disposuit, esto foret aliqua mutatio, ea tamen foret alienatio, vel mutatio solum necessaria, adigente ad hoc dispositione legum, tum civilium, tum canonicarum, ut per se pat. ergo. Confirm. 3. ubi non est novus emphyteuta, non debetur laudemium, ut expressè docet Sichardus cum aliis, relatus. n. 139. sed in hoc casu non est novus emphyteuta, quamdiu professus naturaliter vivit, ut ostensum est n. 139. maxime, si in prima investitura primo emphyteutæ, & ejus hæredibus jus utile, constitutum sit, ut notavimus ex Sichardo n. cit. ergo.

§. VIII.

Cum res emphyteutica, post professionem alicujus, ad monasterium successionis capax devolvitur ex hereditate paterna, monasterium non tenetur ad laudemium, quamdiu professus naturaliter vivit.

144. **R**atio hujus est. Quia Monasterium successionis capax, & ratione sui professi ex paterna hereditate succedens in rem emphyteuticam, eo ipso succedit jure suitatis, & ut heres necessarius; ex n. 106. sed in tali casu non debetur laudemium ex n. 139; ergo. Et confirmat: 1. cit. argumentis prioris §. Secundò ex hoc, quia monasterium habet omnia jura sui professi perinde, ac si iste religionem professus non fuisset; ex n. 106. sed si iste professus non esset, nullum directo domino deberet laudemium in casu, quo res emphyteutica ad illum deveniret jure suitatis, ut passim docent autores; ergo etiam nullum debetur directo domino laudemium in casu, quo venit eodem jure ad Monasterium ratione professi, post ingressum.

145. Dices. 1. Laudemium debetur, quoties fit vera mutatio emphyteutæ; sed quando jus emphyteuticum transit ad monasterium, siue per professionem ipsius emphyteutæ, siue per hereditatem paternam devolutam ad filium

um, jam professum in Religione successionis capaci, sit vera mutatio emphyteutæ; ergo in utroque casu debetur laudemium. Min. pat. Quia mutatio consistit in translatione rei emphyteuticæ v. g. *vineæ*; sed hanc professus per professionem transfert in Monasterium. Ergo per professionem sit mutatio.

R. I. N. ma. universaliter, idque non tantum ex mente Doctorum, qui Religiosi sunt; sed etiam sacerdotalium, ut Bartoli, Sichardi, & aliorum plurimorum, quos retulimus à n. 137. Quibus ex Religiosis accedit Ludovicus Engel. p. I. l. I. tit. 21. §. 3. n. 11. in editione 1671. & in Colleg. juris Canon: l. 3. tit. 31. n. 37. Nec video, quomodo se iaci possit hæc authoritas ex eo, quod sit *doctoris Religiosi*, si rem controversam definiat fundamento liquido, & in jure fundato; nisi velis ex eo, quod sententiam suam dicat in favorem Monasterii; sed sic ponis argumentum longè validius in omnibus, quoties Jurisconsulti favent sacerculo. Illa igitur major fallit, de jure communi, *cum mutatio est necessaria*; vel sit per consequentiam personæ; ut notatum est à n. 137. & seq. Neque his præjudicant in his terris Generalia Principum, sed poti⁹ corroborant, ut ostensu est à n. 141. ergo.

146. Hinc in forma dist. ma. Laudemium debetur, quoties sit vera mutatio emphyteutæ voluntaria, Trans. ma. necessaria, N. ma. sed

in casu, quo emphyteusis per ipsum professum transit in Monasterium consequentiā personæ, in primis nulla est mutatio personæ, ex n. 139. & si esset, esset mutatio solum necessaria, ex n. 138. In casu autem, quo à patre immediate per hæreditatē paternam devoluitur ad filium post professionem, acquiritur jure suitatis, ut ostensum est n. 144. ergo.

147. Quidam negat, filium post professionem religiosam in religione successionis, & bonorum in communni capace, *jus suitatis retinere*, allegans se id nunquam legisse; sed hoc nihil probat; & facile invenisset passim in authoribus, cùm id expressè doceat notissimus Sanchez. l. 7. Decal. c. 12. n. 5. ubi dicit, hoc passim tenēri à Doctorib. *nemine, quem viderit, contradicente*. Certum autem est, à Thoma Sanchez & visos, & lectos esse quām plurimos, ut constabit inspicienti ejus opera sapientissima. V. dicta n. 106.

148. R. 2. datâ majori in object. n. 145. posita n. min. ad prob. dico, *mutationem*, propter quam debetur laudem, non esse qualem-cunque translationem juris emphyteutici, sed translationē, quā desinat esse in priori persona, & constituitur in alia; constat ex n. 135. cum seq.) at translatione rei cum ipsa persona, seu solum per consequentiam personæ, non aufertur à priori persona, sed in illa remanens, cum ipsa trans-

transfertur in Monasterium; ergo in hoc casu non fit *mutatio personæ* habentis jus utile; sed ad summum *modus illud habendi*, nimirum in hoc, quod anteà *jus utile* habuerit cum potestate de illo disponendi per se ipsum immediatè; & post ingressum habeat jus de illo disponendi, sed *dependenter ab eo*, qui gerit administrationem bonorum pertinentium ad communitatem, cuius ipse est pars.

149. Negandum igitur est, quod per professionem religiosam in religione bonorum in communi, & successionis capaci, fiat vera mutatio, in qua fundatur jus exigendi laudemium; vel professus sit exutus omni dominio, & proprio, *etiam in communi*. Nam professio religiosa in ejusmodi religione, non æquivalet morti naturali, ut probatum est à n. 117. Et licet professus censeatur *mortuus spiritualiter*, nimirum quoad propriam voluntatem, quam Dei causâ subdit alteri; non est tamen *mortuus civiliter*, (propriè loquendo) nimirum quoad effectus juris, nec *in sensu juris* perdit libertatem, sicut servus. Alias enim nec de licentia Prælati posset stare in judicio, vel disponere de rebus, quas ante ingressum habuit &c. Quod tamen passim negatur, & est contra notissimam proxim.

150. Ex dict. coll. 1. negandum esse, quod jus utile in dato casu emphyteutæ professi,

hoc in alienum dominium transferatur; estò verum sit, quòd *cum ipso*, & per consequentiā personæ in Monasterium transeat, sic tamē, ut solùm *ratione ipsius*, non autem *ratione suis*, Monasteritum illud habeat, quamdiu professus naturaliter vivit. Igitur jus suum non transfert in Monasterium *illud à se omnino alienando, sed tantum in communionem admittendo.*

151. Coll. 2. Esto transmittatur (si professus ante ingressum fratri suo relinquere jus emphyteuticum, vel hic illi; aut pater filio, alio titulo, quām hæreditatis) deberi laudemium; negaritamen, hoc deberi in casibus propositis 1. quia frater non habet ipso facto omnia jura fratris, sicut Religio omnia jura sui professi, ex n. 106. secundò, quia ibi jus utilie non transit ad alterum mutatione necessariâ; vel per consequentiam personæ. 3. quia filius eo casu emphyteufism non haberet *ut hæres suis*. Denique illud antecedens fallit in casibus expressis à n. 137.

152. Coll. 3. ex eo, quòd (si vir uxori suæ donaret vineam emphyteuticam) deberetur laudemium, nullam fieri paritatem ad casum, quo emphyteuta illam per professionem secum fert ad Monasterium. Nam 1. hæc translatio est necessaria, & per consequentiam personæ; non illa 2. Hæc translatio est per transsum emphyteutæ in communitatem, in qua

se Deo dedicat; non illa 3. Uxor per connubium, non est eadem persona cum Viro, *juridice*; nec per hoc, quod conjuges sunt duo in earne una, sunt *eadem persona in iuribus*. Nec enim ex hoc uxor succedit in *omnia bona viri sui*, sicut Monasterium in omnia jura sui professi; ex n. 104.

153. Coll. 4 nec bene fieri paritatem ad causum, quo ius emphyteuticum ex hereditate paterna post religiosam professionem devolvitur ad Monasterium ratione filii professi; quia monasterium ratione sui professi tunc stat *ut heres suus*. ex n. 106. Hinc sine ullo fundamento juris dicitur, quod filius jura, vel privilegia, *filiis aut descendantibus* concessa ex rescripto Principis, per consequentiam personae non ferat secum ad Monasterium, in quo profiteatur. Nam 1. id manifeste repugnat legibus allatiis in N. 104, quae clare dicunt, quod cum sequantur *omnia sua jura, & res*. Nec statutum, aut consuetudo ulla, ut notavimus n. 108. (nisi legitima) illi derogare potest, quae in his terris nulla extat, ex n. 141. cum rescripta Principi pro his terris potiori jure firment sententiam nostram. Nam licet ejusmodi rescriptum, etiam in stricta interpretatione sumatur; certum tamen est, quod per professionem non definit *naturaliter, esse filius*, ut manifestum est omnibus; sed nec *civiliter* definit esse filius. Quia

professio religiosa in religione bonorum in communi, & successionis capaci non habet vim extingendi *ius filii* in professo (ut certum est, apud omnes canonistas scribentes de jure Regularium) sed tantum ligandi eum, ut eo non utatur licite, vel etiam valide , nisi dependenter à voluntate illius qui nomine communi administrat bona talis Monasterii.

154. Coll. 5. esto darem, quod in rescriptis. pura veritas, non autem fictio inspicienda sit (quod tamen in plurimis fallit) in casu tamen nostro, *professum illum in religione* (de qua loquimur) post professionem *aque*, ac ante, esse filium, & habere iura filii, veritas est, non juris fictio. Nam *jus filiationis* per professionem in ejusmodi Religione non extinguitur ; quia cum certum sit, *incapacitatem dominii*, non esse ex natura voti paupertatis, etiam solemniter professæ, ut constabit amplius ex n. 375. sed tantum speciali constitutione juris positivi, ut expressè definit Gregor. XIII. in bulla *ascendente*, edita 1584. 8. calend. Junii; & aliàs habetur c. unicò de voto. in 6. ex ipso in nullo professo, *visuæ professionis* ulla, vel major incapacitas dominii, aut juris, erit, quam Ecclesiæ constitutione definitū sit ; at nullâ Ecclesiæ constitutione definitum est, *in filiis, visuæ professionis*, in religione bonorum, & successionis capaci, extingui *ius filiationis*; imò contrarium aperte con-

const. ex n. 105. ergo falsum est, quod professus sola juris fictione, & non vere retineat ius suitatis, & re ipsa ex qualitate filii recesserit per professionem. Accedit, quod per Generalia Cæsarum respectu Styriæ non qualiscunque recessus ex communione hæredum; sed tantum recessus per venditionem rei, post hæreditatis divisionem, pariat obligationem laudemii.

ex n. 141.

155. Nec ex eo (quod, si professus vellet, major autem pars nollet , vendi vineam v. g. ipsius suffragium nullum esset) recte sequitur, ergo nullum habet dominium, quia juxta n. 5 1. per usum præcisè annullatum, non est annullatum ius. Alias pupillus non esset rei dominus, quia, quando absque authoritate tutoris , extra casum sibi lucrum, disponit de re sua , dispositio est jure nulla ; at ex hoc non recte arguitur pupillum non habere illius rei dominium, licet sit vinculatum ; ergo etiam ex illo casu, non recte arguitur, professum nullum illius rei habere dominium ; quia ut recte notat Wadingus de contractibus, d. 2 d. 2. religiosi, qui administrationem non habent, aut licentiam Prælati, quoad suos contractus comparantur pupillis. 2. quia per hoc solum sequitur, eum carere administratione, & jure disponendi particulariter, non autem communiter, ut dictum est ; ergo.

156. Coll. 7. esto detur, quod si monaste-

rio legasset vineam, hoc deberet laudem ipsius naturaliter mortuo, non tamen idem sequi, quando ipse vineam emphyteuticam per religiosam professionem & consequentiam personæ fert ad monasterium, aut monasterio obvenit hæreditate paternâ, ratione filii professi. Nam in casu *legati*, monasterium non habet vineam ratione personæ in ipsum translatæ, sed facto hominis seu dispositione legantis; secùs in casu, quo vinea sequitur emphyteutam. Nam in hoc casu monasterium non capit vineam, ut hæres sui professi, ex n. iii. nec in eo casu *legatis* monasterium recipit vineam, ut hæres suus; secùs in casu vineæ post professionem filii, obitu Patris, ad monasterium ratione professi deolutæ, ut dicit, est n. 144.

157. Quarè notandum, quòd, quando dicitur, monasterium haberi, & esse loco filii, non sit sensus, quòd Monasterium habeatur tanquam filius personæ in ipsum translate professione, ei que succedit, ut Filius ejus (quia sic Monasterium esset in potestate sui professi) sed quòd monasterium eodem modo, ratione sui professi, stet loco filii respectu ejus, respectu cuius ille professus habetur filius; quia, ut dictum est n. 106. filius monasterium ingressus nihil perdit ex illis iuribus, quæ ante habebat quoad successiones in bona parentum; retinetque jura suitatis, & similia. Hinc monasterium (si moriatur secularis parens professi)

invenit nomine sui religiosi (qui adhuc vivit, naturaliter) petitionem hereditatis (ut fundatè docet Wadingus ibid. cit.) & ejus præteritione, testamentum rumpitur æque, ac in casu præteriti filii non religiosi.

158. Dices 2. Si ex eo, quod filius in Monasterio bonorum, & successionis capaci profitendo, secum ad illud ferat rem emphyteuticam, non deberet solvi laudemium, fieret magnum præjudicium dominis directis ; ergo tali casu solvendum est laudemium. Verum, ex quo capite ? an, quia per hoc fit mutatio, in qua fundatur debitum laudemii ? sed hoc negatur ex dict. à n. 141. an, quia eadem persona sed nunc religiosa, vineam habet iure possidendi bona communiter ? at per hoc non ostenditur, quod sit *novus* emphyteuta ex n. 143. sed tantum, quod sit idem in alio statu, & quidem in statu sacro ; propter quod, gravari Religionem, quæ loco filii recipit illum emphyteutam, alienum est à recto, & omni juris æquitate. Accedit, quod in nullo præjudicetur domino directo, esto in dato casu non solvatur laudemium ; quia per hoc nihil perdit, quod ei obvenisset, si emphyteuta non esset professus, ex n. 131. Nam ejus naturali morte secutâ, Monasterium pendet laudemium, quia tunc capit vineam emphyteusi subjectam, ut hæres emphyteutæ defuncti, si cam (ante professionem) per

per ultimam voluntatem, in eventum suæ mortis naturalis, Monasterio cessit; ante hanc autem monasterium eam non habet, ut hæres, sed acquisitione naturali, ut dictum est. n. 111.

ARTICULUS III.

De Jure pignoris & hypothecæ.

159. **P**ignus, & hypotheca sunt jus in re obligata pro debito, ut si aliter satisfactum non fuerit creditori, inde satisfiat. Hoc utriusque commune est, unde etiam in jure sæpius pro invicem accipiuntur. Cæterum, si propriè, & strictè loquamur, *pignus* appellat rem mobilem, manu traditam creditori; *hypotheca* immobilem, & physicè manentem penes debitorem. Utriusque obligatio nascitur ex triplici causa 1. ex jurisdictione Prætoris, & dicitur *pignus prætorium*. 2. ex partium conventione, & dicitur *conventionale*. 3. legis dispositione, & dicitur *legitimum*, vel (ut nonnulli vocant) *hypotheca*, aut *pignus tacitum*. Quæ absolute, & per se ipsa vendi non possunt, in *pignus* dari nequeunt. L. 1. §. eam rem. ff. quares pignor: obligari non possunt. Pignus enim datur creditori, ut debitore illud non redimente, creditori liceat ex re vendita sibi satisfacere, ut dicitur in ff. de distractione pignorum.

§. I.

Res aliena dari nequit in pignus.

160.

Cum enim creditori in pignore constituantur jus in re (supponitur enim vel naturaliter, vel fictè tradi) sic, ut ei res obligata, & juridicè devincta sit ad hoc, ut in defec-
tu debitoris ex eo sibi satisfaciat; nemo autem possit alteri realiter obligare rem alienam sine consensu domini; eo ipso fit, in pignus alienam rem non posse dari. Nec obstat, quod aliena res vendi possit. Quia per venditionem alteri in re aliena non constituitur jus reale, sed venditor solum obligatur ad evictionem, seu præstandum pretium, si res evicta, seu aliena convicta fuerit.

§. II.

Possessor pignoris, extra casum satisfactio-
nis per ejus venditionem sibi præstandæ, non
potest uti pignore.

161.

Nam ejus facultas ipsi constituta est solum, ad retentionem in securitate debiti. Hinc si sine via domini, seu debitoris expressa, vel prudenter præsumpta, utitur pi-
gnore, tenebitur actione furti, ut dicitur L.
qui iumenta, ff. de furtis, & §. 6. Inst. de oblig. qua
ex delicto.

162. Hinc etiam fit, quod creditor, utens
rc

re immobili in hypothecam datâ, debeat fructus inde perceptos, & consumptos computare in sortem, hoc est, in defalcationem, & extenuationem sortis, seu summæ mutuò acceptæ. L. I. C. de pignorat. abt. &c. cùm contra de pignoribus) imò etiam fructus, culpâ creditoris non perceptos, ut notat Canifius l. 5. decret. tit. 19. c. 5. n. 5. ex L. 2. & 6. C. loc. cit. Ratio etiam est, quia pignus manet domini etiam dominio utili; consequenter etiam omnes fructus superstites, deductis expensis necessariis; quod verum est, licet à creditore sint sati, cùm non jure seminis, sed soli percipientur. L. qui scit. ff. de Usuris. Et idco fructus ultra sortem percepti à creditore ex pignore, quoad excessum reddendi sunt debitori ex c. 1. & 2. de Usuris, cùm nullo titulo nisi mutui eos percepit. Hic autem titulus usurarius est ergo.

163. Dices: Bonæ fidei possessor, colonus, usufructuarius, & similes, fructus fundi licet alieni, suos rectè faciunt, ut dicitur cit. L. qui scit. L. Bonæ fidei. ff. de acquir. ver. dom. & §. si quis à non domino. Instit. de rerum divis; ergo etiam creditor fructus pignoris. ¶ C. ant. N. cons. Nam illi habent justum titulum, ut ponitur; creditor autem ex nulla alia causa pignus possidet, quam ut ei incumbendo securior sit de suo credito. §. fin. Instit. quibus modo re contrahatur obligatio.

§. III.

Pactum antichresios , adjectum pignori ,
illicitum est.

164. **P**AETO antichresios intelligitur pactum
adjectum pignori , ut creditor fructus
ejus tamdiu percipiat , & lucretur , dum pignus
eliberetur solutione sortis . Dico , pactum istud
illicitum esse . Ita Canisius cit . n . 14 . Haunold .
tom . 4 . de Just . tr . 10 . n . 928 . cum com . Theo-
log . Nam pactum usurarium ipso jure nullum ,
& tam divinis , quam humanis legibus prohi-
bitum est , ut constat ex toto tit . de usuris ; hoc
autem pactum est usurarium , si pignori adje-
ctum sit . Nam usura est , quidquid in , & vi mu-
tui ultra sortem accipitur ; sed in dato casu fru-
ctus pignoris acciperentur ultra sortem vi mu-
tui , cum expressè c . 1 . & 2 . de usuris , dicantur
computandi in sortem , ut caveat nr usura ; ergo
si secus , eorum perceptio erit usuraria ; & quo-
niam fit vi pacti supponentis mutuum , seu ex
virtute mutui eo pacto informato eo ipso erit vi
mutui .

165. Dices : licitam esse antichresim pro-
pter incertum fructuum eventum , etiam si fru-
ctus legitimum usurarum modum interdum
excedant , ut dicitur L . si oleo . L . si paetione L . si
ea lege . C . de usuris . Verum jure civili (ut con-
stat ex toto tit . ff . & C . de usuris) etiam usu-

gæ permisæ sunt; non tamen propterea in conscientia licitæ sunt; cùm certum sit, usuras *vi solius munus* peccatum esse. Hinc nihil probatur, cùm jus civile non possit in conscientia licitum reddere, quod jure divino & canonico prohibitum est.

166. Dices 2. Quod fit prævisè causâ proximi juvandi, non est illicitum; ergo si antichresis eo solùm titulo contrahatur, non erit illicita; hoc autem sæpe contingit, quando proximus graviter eget pecuniâ; ergo sæpe licita est. Sic Andr. Gail. l. 2. observat. 3. n. 5. verùm n. ant. universaliter. Quia quod ex se malum est, nec proximi causâ licet; aliàs liceret mentiri, quando proximus à periculo gravi liberari potest mendacio. Et quæ, quæso, est charitas proximi, *præcuse titulo mutui* auferre proximo fructus pignoris? cùm pecunia, per te mutuo illata, cœteroquin otiosa fuisset, vel si aliâs otiosa non fuisset, alio titulo licitum sit interese justum.

167. Dices 3. fructus illos posse computari in vicem molestiæ, quam creditor subit in collendo fundo, & credito non simul, sed per viæ recuperando; quæ particularis solutio multa habet incommoda, ergo hoc titulo potest fructus ultra fortem percipere. Et non posse; quia *contractus initio quidem voluntatis sicut, postea vero necessitatis*, ut dicitur l. sicut C. de act.

& obligat. Hinc creditor sibi debet imputare, quod, cùm jure non cogeretur ad mutuandum, hanc sibi necessitatem injecerit, ex fructib. rei pignoratae sortem suam colligendi; quamvis & hac molestia se liberare possit non recipiendo in se pignus, sed hypothecæ nomine relinquento debitori, ut notat Canisius cit. n. 24.

168 Dices 4. in dato casu fructus non recipi perentur *vi mutui*; ergo non sunt usura. Ant. pat. quia in dato casu fors non posset revocari, quod est contra naturam mutui. Ex. tunc fructus non percipi *vi mutui nudi*, sed *vestiti pacto propter mutationem præcedentem*. Hinc cùm creditor lucretur fructus pignoris, *vi pacti, quâ supponentis mutuum*, meritò incidit in usuram divino, & humano jure damnatam c. 1. & 2. ac 10. de usuris. Idem est, si dicas donari donatione supponente mutationem præcedentem. Mutuo autem non obstat, contrahi ad certum tempus, & in certum diem, adeoque nec illa irrevocabilitas.

§. IV.

In aliquo tamen casu licitum est.

169. **N**E in pactum antichresios usurarium temerè incidamus, prudenter monet Dominic. Soto de Just. & jure l. 6. q. 1. a. 2. apud Canis. cit. n. 29. ut creditor rem, quam alio-

alioquī debitor pignori destinaverat, certo pre-
tio emat cum pacto relutionis, seu revenditio-
nis. Nam tali casu fructus, aliæque obventio-
nes, lucro cedunt emptori licet, cùm jam eas
percipiat ex re sua. l. *qui scit.* ff. *de usuri.* Et hoc
pactum revendendi esse licitum etiam in con-
scientia, multis authoritatibus probat Tira-
quellus, Navarrus, & alii apud Canis. loc. cit.

170. Sed dices 1. antichresis & emptio illa,
in eundem finem tendunt (videlicet ad lucrando
fructus rei) ergo si non licet antichresis,
nec licebit illa emptio. R. esse diversitatem in
modo; nam emptio est modus licitus lucrandi
fructus; antichresis illicitus & usurarius. Ille,
tendit ad lucrando fructus ex re sua; iste, ex
aliena.

171. Dices 2. etiam ille, qui per viam dona-
tionis, vel ususfructūs lucratur fructus, tendit
ad eos lucrēdos ex re aliena, & tamen non est
illicitus modus lucrandi. R. viam donationis,
& liberalitatis esse modum de se licitum; non
autem viam *vis solius mutui*, cùm in mutuo ea
tantum res in obligationem veniat, quæ data
fuit, non alia. Quod autem *sadem res recte*
detur uno modo, & non altero, pat. Nam hæ-
reditas justè dari potest testamento, non au-
tem pactis. l. *hæreditatis.* C. *de pactis.* & l. *licet*
C. eod.

172. Dices 3. antichresis etiam jure canonico

co (saltem aliquibus casibus) permittitur , ergo de se non est mala. ant. pat. nam Clericus potest beneficii sui fructus à laico injustè possessi , & sibi pro mutuo obligati , licetē percipere . ut dicitur c. 1. de usuris . 2. cùm domino feudis feudalis in pignus datur , non tenetur fructus in sortem computare . c. conquestus . eod . 3. gener fructus possessionum pro dote sibi obligatarum licetē non computatin sortem c. salubriter . eod .

173. Ex. non permitti antichresim *ex pignore*. Nam in 1. casu solū ab injusto possessore , a- vocat Clericus possessionem rei suæ , non au- tem percipit viâ mutui fructus *ex alieno*. In 2. casu non est usura , cùm fructus percipiāt do- minus feudi ex re sua jam consolidata . Feu- dum enim , cùm à Vasallo in pignus datur do- mino , consolidatur ; & Vasallus ab onere ob- sequiorum liberatur . In 3. casu percipiuntur fructus in defectum dotis non sufficientis ad onera matrimonii supportanda , ut patet *ex i- pso textu*. Hinc simpliciter N. ans. de antichresi , quam reijcimus . Vid. Wadingum , de contract. D. 6. d. 9. §. 1. & 2.

§. V.

In contractu pignoris illicitum est pactum
legis commissoriæ.

174. Per hoc intelligitur pactum , quo debi-
torem inter & creditorem convenitur ,
G ut ,

ut si ab illo non solvatur debitum intra certum tempus, pignus committatur, hoc est, Creditori cedat, ad eumque pertineat, sic ut à debitore amissum sit. Pactum hoc jure canonico, & civili, reprobatum est, ac illicitum, nisi fiat cum limitatione ad justum pretium, & solum secundum aestimationem debiti. Prob. ex c. significante, de pignorib. ibi : *cum igitur pactum legis commissoria sit in pignoribus improbatum.* ut etiam dicitur L. 3. C. de pactis pignorum. Et ratio est. Quia cum pignus communiter plus valeat, quam debitum ex mutuo, eo ipso vi mutui, aut saltem vi pacti essentialiter supponentis mutuum, perciperetur aliquid ultra sortem, quod est usura. Hoc autem non contingit, facta illa limitatione; ergo. V. Molin. D. 324. Wading. cit. D. 10.

175. Ex dictis colliges, nec pignoratorem, nec pignorarium, strictè loquendo, habere plenum dominium pignoris. Neuter enim habet omnem usum. *non primus*, cum non possit rem habere penes se; *non secundus*, cum non habeat proprietatem; quia tamen id, quo caret dominus pignoris, ethicè & moraliter propè nihil est, ideo Molina tract. 2. d. 3. n. 16. censet, nullum jus in re, residens in alio à proprietario, obstarere, quò minus hic dicatur pleno jure dominus, praeter usumfructum maximè perpetuum, ut est in emphyteusi, feudo,

superficie ; perpetuis. Quare rem esse subiectam hypothecæ, pignori, servituti, censui, juxta hunc sensum non facit, ut proprietarius non sit rei plenus dominus, sed moraliter, & ethicè, sic ille.

ARTICULUS IV.

De jure hæreditis fiduciarii, & fideicommissarii.

176. **F**ideicommissum in genere dicitur, quod alicui per ultimam voluntatem ministerio personæ intermedia relinquitur. Cum res taliter relicta, est vel hæreditas tota, vel pars, dicitur *fideicommissum universale*; cum est solum aliqua res particularis, dicitur *fideicommissum particulare*, & hodie non differ à legato, teste Pirhing. De testam. n. 73. Is cui tale aliquid fideicommissum relinquitur, dicitur *hæres fideicommissarius*; is per quem (nempe persona intermedia, quæ gravatur) *hæres fiduciarius*. De his in præsenti, unam duntaxat, alteramque quæst. resolvemus.

§. I.

Filius universali fideicommisso gravatus; præter legitimam, de utroque iure licite deducit ex hæreditate gravata quartam Trebellianicam.

177. Quoad primam partem de legitima*mā*
 constat ex L. Papinianus §. quoniam,
 & § quarta. Item L. cūm queritur. L. parentis-
 bus. ff. de inofficiis. Test. & §. ultimo. Instit. eod.
 quoad secundam verò partem patet ex c. Ray-
 nutius. & c. Raynaldus de Testam. Hoc juris civi-
 lis interpretes procedere volunt, quando hæ-
 res fiduciarius gravatur sub hac conditio-
 ne, si sine liberis decesserit; non autem, si pure.
 Verùm decisio Papæ in cit. cap. fundatur in eo:
 quod quilibet, etiam extraneus, deducere possit Tre-
 bellianicam; & quod legitima gravari non potuerit:
 at hoc procedit sive gravatus sit sub conditio-
 ne, sive pure; ergo utroque casu (spectato ju-
 re Canonico) post detractam legitimam, de-
 ducit insuper licite quartam Trebellianicam.

178. Dicendum ulterius, idem in utroque
 casu licite fieri etiam *de jure civili*. Sic Fachinæ-
 us, lib. 3. controvers. c. 2. Ratio est, quia qui-
 libet hæres gravatus, ut hæreditatem alteri re-
 stituat, ex hereditate restitutioni obnoxia licite de-
 ducit quartam Trebellianicam; §. sed. quia. In-
 stit. de Fidei commiss. heredit: ubi hoc conceditur,
 ne hæres alioquin, ob nullum, vel modicum
 lucrū recuset adire hæreditatem, (habetur e-
 tiam §. nihil autem. Instit. eod.) sed illud solùm
 est hæritas restitutio*nis obnoxia*, quod superest
 detractâ legitimâ (ut dicitur Novell. de restitut.
 §. quam ob rem.) ergo ex eo, quod superest de-
 tractâ legitimâ, licite deducitur quarta Trebel-
 lia.

ianica, idque de jure civili. Confirm. Quia filius sic gravatus *institutione*, non privatur *jure proprio*; sed *jure proprio* potest deducere legitimam; & *jure institutionis*, Trebellianicam; ergo.

179. Hinc negandum est 1: legitimam computari pro Trebellianica. Nam in hanc ea solum computantur, quae haeres habet solo *jure institutionis*; non ea, quae habet jure filii. Hinc l. Paterfam: ff. ad L. *Falcidiam* dicitur: filiam, *Falcidiam jure quidem hereditario*, dotem autem *jure proprio* habituram.

180. Negandum est 2. recte concludi: *in aliis*; ubi quarta conceditur, unius adeptio excludit alterum; ergo etiam hic. Nam illud est juris antiqui, circa quod hodie nihil immutatum est: circa nostrum autem casum, jure novo aliquid immutatum est, nempe *ut legitima non veniat in hereditate restitutio obnoxia*.

181. Negandum est 3. in jure cit. haberis, filium, qui deduxit legitimam, cæteras partes hereditatis *integras* restituere debere fidei commissario, ut falsò allegatur ab Hotomanno, nobis contrario. 2. esto haberetur, intelligi potest, reddendas esse, juxta dispositionem legis, *Trebellianicam concedentias*.

182. Negandum est 4. duas causas lucrativas non posse convenire in eundem hominem *ex diverso jure*, ut patet ex num. 179. Deinde hic non petitur, nec debetur idem, bis. Nam

legitima habetur pro excepta ab hæreditate tradenda. Semel ergo debetur legitima *jure proprio*; semel quarta Trebellianica, *jure institutionis*.

183. Negandum est 5. sic testatori auferri facultatem testandi, concessam lege 12. Tabularum. Quia licet hæres gravatus possit deducere legitimam, & quartam; adhuc manet, quod testator possit alteri relinquere octo uncias, seu bessem, sed juxta legis dispositionem; scilicet, ut quarta pars inde computetur in Trebellianicam.

184. Per legitimam autem intelligitur jure novo triens, seu tertia pars bonorum à defuncto relictorum, deductis ære alieno, & funeribus, si filii non sint plures quatuor; si plures, est semis, seu medietas illorum. Authent. de Triente, & semisse. Novell. 18. §. 1. Auth. Noviss. C. de inoffic. Testam. glos. in c. Raynati. V. quartam. Hinc si minus illis relatum est, possunt deponere querelam in officiis testam. & agere ad supplementum. I. omni modo C. eod. legitima debetur jure naturæ, quatenus est in vicem alimentorum; secundum quantitatem autem trientis; seu semissis, est juris civilis. Gayl. lib. 2. observ. 102. n. 12. Hinc debet relinquiri purè, nec gravari potest. I. omni modo. c. Raynati. cit. & onus illi adjectum, habetur pro non adjecto. I. quoniam C. de inoffic. testam.

185. Per hæreditatem restitutioni obnoxiam, intelliguntur bona defuncti, quæ super sunt post deductam legitimam, ut constat ex n. 178. Ejus quantitas inspicitur secundum tempus, quo testator obiit, non quo hæreditas adita est. Pirhing. lib. 3. decret. tit. 22. n. 90. Notandum autem, quod massa eorum bonorum vocetur as, & dividi debeat in 12. partes (uncias vocant) quarum singulæ, præter duodecimam, habent sua in jure nomina, de quibus §. hæreditas. Instit. de hæredib. instituendis. juncta gloss. V. hæreditas.

§. II.

Quando bona defuncti augmentur intrinsecè, augetur etiam legitima filiorum; secùs, si solùm extrinsecè.

186. Intrinsecè augmentur, cùm ex ipsa re illorum æstimatio crescit; extrinsecè, cùm crescunt accessione alterius rei, ut alluvione, vel ob aliam causam. Ratio primi est, quia augmentum intrinsecum, seu bonorum æstimatio pertinet ad illum, ad quem pertinent bona sic æstimata. 1. in ratione. ff. ad Falcidiam. 1. pignus. C. de pignorar. act. Ratio secundi est, quia filii non conceditur querela inoffic. testim: si pater eis reliquit quartam partem bonorum (secundum jus antiquum; hodie enim debet esse triens) quæ talis fuit inspecto tem-

pore mortis. 1. cùm queritur ff. de inoffic. testam.

187. Dices: legitima est, quæ fuit tempore mortis; augmentum intrinsecum non fuit tempore mortis, ergo. 2. augmentum extrinsecum non accrescit legitimæ; ergo nec intrinsecum. Rg. augmentum intrinsecum *in se* quidem non fuisse tempore mortis, fuisse tamen *in radice*: extrinsecum verò nec fuit in radice. Totum enim, quod nunc ob varietatem temporis, pluris fit, fuit tempore mortis; secùs, quod nunc pluris fit extrinsecè.

§. III.

Filius acceptâ legitimâ, vivo parente, eo defuncto licitè agit ad ejus augmentum, secundum quantitatem bonorum, quam habent tempore mortis, si interim aucta sint.

188. **H**oc intellige, seclusâ speciali obligatione juramenti de non exigendo plus, etiam in casu, quod interim bona patris crescerent, licet alio modo pactus fuisset cum patre de non movenda querela inofficiosi. Ratio est, quia filio debetur legitima secundum quantitatem bonorum tempore mortis ex num. 184. & hoc pactum non juratum reiicitur l. si quando. §. illud etiam. C. de inoffic. testam. & clariùs §. immediate sequenti.

189. Ex hoc sequitur, si filius vivo patre acce-

cepit legitimam, quantitate bonorum longè inferiorem (ut si bonorum quantitas non sit ex vero computata , vel etiam falso suppressa) hæredes paternæ hæreditatis (legitimæ sic alteri diminutæ gnaros) non esse securos in conscientia, si non faciant supplementum defectus, esto à filio impetrata foret cessio non jurata ; & si filius in religione successionis capace profsus sit, religioni etiam post mortem patris, competere actionem contra hæredes ad supplendū defectum, vel transigendum. Quia sic est ini-que fraudatus portione sibi jure debitâ.

190. Esto autem olim testatoribus permisum sit, ut si Filio reliquissent legitimam (quadrantem v. g) pro libitu de dodrante superflite disponere possent ; si tamen plus in legata dispensassent, sic, ut quadrans hæredi pro legitima non supereffet, hæredi (beneficio legis Falcidiæ) concessum fuit, tantum de illis legatis pro se deducere, quantum necesse foret, ut quadrans bonorum ipsi obveniret, ut dicitur toto titulo ad l. Falcidiam. ff. C. & Instit.

QUÆSTIO. IV.

De possessione.

191. **A**Cognitione *possessionis* pendet resolu-
tio plurium tractandorum, ut præ-
scri-

scriptionis, acquisitionis fructuum ex re aliena &c. Quæ huic operi necessaria visa sunt, in seq. breviter pertractabimus. Possessio est quasi ultima perfectio, & complementum dominii. Sumitur objectivè, & formaliter; *objectivè*, est res possessa; (*hinc res nostræ*, dicuntur possessiones nostræ) *formaliter*, significat formam à qua quis dicitur possessor, & res possessa. Actus possidendi dicitur *possessio facti*; legitima facultas exercendi talcm actum in commodum libertatis propriæ, dicitur *possessio juris*. Possessio facti seu actus possidendi (*nimirum in genere*) est apprehensio rei vera vel ficta, corporis, animi, & juris adiniculo, qua illi vel actualiter, vel habitualiter insistimus. Apprehensio *vera* est, cùm verus actus corporeus intervenit, ut si manu attigisti rem; *ficta*, si intervenit solum fictione juris. Animo autem res apprehenditur, cùm quis eam vult per tales actum corporis verum vel fictum, habere *ut suam*. His præmissis.

ARTICULUS I.

Ad acquirendam rei possessiōnem non sufficit rei apprehensio, vel naturalis tantum, vel civilis tantum.

192. **P**ossessio naturalis tantum dicitur corporalis apprehensio rei per alium absensem

tem civiliter possessæ; *civilis tantum*, cùm quis eessante rei detentione corporali retinet illam solo animo seu voluntate habendi *ut suam*; quando utraque convenit, dicitur *naturalis & civilis*; his positis, prob. 1. pars, quia aliàs *fa-*
mulus deferens pecuniam domini foret ejus possessor. Prob. 2. pars, aliàs enim solo deside-
xio pulchri equi fieri possessor equi. Confirm.
 ex L. possideri. De acquir. poss. ibi: *adipiscimur*
possessionem e corpore & animo; neque per se *animo*;
 aut per se *corpore*. Confirm. 2. ex L. quemadmo-
 dum ff. cod. ibi: *quemamodum nulla possessio ac-*
quiri potest nisi animo, & corpore, &c. Et lege possi-
 deri §. Neratius, dicitur: hunc, & Proculum cen-
 suisse, *solo animo*, non posse nos acquirere *possessionem*, si non antecedat *naturalis possessio*. Pos-
 sessio autem tam *civilis*, quam *naturalis amitti* potest solo animo possessoris, nolentis rem habere *ut suam* pat. 1. ex L. possideri cit. ibi:
 igitur & solo animo amitti potest. Et L. quemadmo-
 dum cit. ibi: *nulla amittitur, nisi in qua utrumq;*
in contrarium actum est; ad quod sufficit, quòd
 corpus agat in contrarium per animum.

ARTICULUS II.

Possessor bonæ, vel malæ fidei,
 fructus meræ industriæ, ex re aliena, pleno
 jure facit suos.

193. **N**am fructus meræ industriae sequuntur industriam, sicut naturales rem; ergo sicut is, cuius est res, fructus naturales rei possessæ & suæ, facit suos; sic fructus meræ industriae is, cuius est industria. Hinc opus elaboratum alieno instrumento est artificis; non ejus, cuius est instrumentum. 2. qui frumentum (quod valet hic 5.) per suam industriam transfert ad locum; in quo non erat constituendum à Domino, & ibi vendit decem, lucrum sibi acquirit. 3. si fur pecuniam furtivam negotiationi exponit, lucrum negotiacionis merè industriæ proveniens suum facit. Not. tamen, usum rei, secundum valorem, cum ipsa re, domino compensandum esse. Hinc Lugo de justitia disp. 17. sect. 3. n. 49. docet, famulum lucrari, quod datur in commutatione auri pro argento, quando dominus nihil curat, & creditori solvendo non debetur aurum.

ARTICULUS III.

Possessor bonæ fidei fructus rei possessæ tam industrielles seu mixtos, quam naturales, facit suos.

194. **I**Ta Castropalaus tr. 3 r. de just. in genere d. unica, p. 24. n. 7. per *fructus mixtos* intelligimus fructus, qui proveniunt ex re principalius operante hominis industriâ; *naturales*, qui proveniunt ex re principalius operan-

tante naturâ : meræ industrie, qui ex puro labore & industria hominis. Jam prob. 1. pars ex §. si quis à non domino. Instit. de rerum division. ibi : si quis à non domino fundum bonâ fide emerit, vel ex donatione, aliave causa justa (aequè bonâ fide) accep- perit ; fructus, quos percepit, ejus esse, pro cultura, & cura. Hic autem sermo est 1. de fructibus industrialibus, quos Theologi vocant mixtos. 2. de perceptis. 3. quoctunque titulo, etiam si lucrativo, res possideatur.

195. Prob. etiam 2. pars de naturalibus. Nam possessor bona fidei lanam ovium non usucapit, sed statim ejus fit, L. 4. ff. de usucaptionib. ; sed lana est fructus naturalis, ut constabit ex n. 198. Ergo. Confirm. 1. ex l. bona fidei. ff. de acquir. rer. dom. ibi : bona fidei emptor non dubie percipiendo fructus ex aliena re, suos interim facit, non tantum eos, qui diligentia & operis ejus pervenerunt, sed omnes. Hæc validè confirmari possunt ex dicendis à n. 196.

195. Ferdinandus Rebellus l. 2. de restit. q. 4. n. 9. ait, conclusionem veram esse, etiam de fructib. naturalibus, quando res est penes pos- sessorem bona fidei ex titulo oneroso ; sed non, quando est ex lucrativo. Ratio primi est, 'Quia textus nobis faventes, omnes loquuntur de emptore bona fidei, hoc autem sonat titulum onerosum. Ratio secundi. Quia L. fructus 45. ff. de usuris, Possessori bona fidei fructus natura- les

Ies ex re, titulo donationis possessa, aperte negantur. Sic enim lex habet, *fructus percipiendo uxori, vel vir ex re donata suos facit, illos tantum, quos operis acquisierit, veluti serendo*; Nam si pomum decerpserit, vel ex sylva ceciderit (pomum autem, lignum, & similia, fructus naturales sunt) non sit ejus, sicut nec cuiuslibet bona fidei possessoris, quia non ex facto ejus iste fructus nascitur.

196. Sed dicendum probabilius esse oppositum; nemirum, quod possessor bonae fidei fructus naturales faciat suos, non tantum in casu quo rem habet titulo oneroso, sed etiam lucrativo, ita Thom. Sanchez lib. 2. in decal. c. 23. n. 68. prob. quia 1. *fructus*. Possessori bonae fidei non ob aliam causam negantur fructus naturales, quamquam ratione negantur illi viro vel uxori; sed his ibi negantur non ideo, quia rem habent ex titulo lucrativo; sed *propter defectum tituli sufficientis ad translationem dominii* (donatio enim inter conjuges non est habilis causa ad transferendum dominium, adeoque non est titulus) ergo etiam possessori bonae fidei tunc solum negantur fructus naturales, quando caret *omni titulo*, sicut ille vir, vel illa uxor.

197. Ex hoc patet ad primum argum. Rebelli. Nam 1. negandum est, quod lex concedens possessori bonae fidei fructus naturales, concedat eos solum in casu *tituli onerosi*. const.

1. ex §. si quis à non domino. cit. n. 194. ibi: vel ex donatione, aliave causa iusta. 2. ex. l. in pecudum ff. de usuris. ubi habetur. in pecudum fructus etiam fætus est. sicut lac, & pilus, & lana. Itaque agni, & hædi, & vituli, statim, pleno jure sunt possessoris bona fidei. Ubi nec verbum de titulo oneroso, & tamen vituli, agni, pleno jure dicuntur possessoris bona fidei. Si dicas ibi sermonem non esse de fructibus naturalibus. Nam textus loquitur de vitulis, sicut de lana, sed hæc non est fructus naturalis; ergo. R. 1. n. ant. ad prob. dist. loquitur de vitulis, sicut de lana; quoad hoc, quod est esse in fructu pecudum. C. secūs n. ma. trans. min. n. cons.

198. R. 2. n. ant. ad prob. trans. ma. n. min. quia in his natura prævalet; & ideo Hau-noldus de Iust. tract. 3 n. 266. hæc omnia in lege cit. enumerat, docet esse fructus naturales, citans Harprechtum celeberrimum juris-consultum, ex communi Juristarum, & pluri mis textibus eandem numerantem inter fructus merè naturales.

199. Ad 2. argum. Rebelli n. ant. Nam in l. fructus, uxori & possessori bona fidei propter defectum *omnis tituli* negantur fructus naturales. Et in hoc inter illos comparatio fit. Deinde, quando dicitur: pomum non est ejus, sicut nec cuiuslibet bona fidei possessoris, notandum est illud *cuiuslibet*. Non enim idem est, ac nullius. Sic quan-

quando dicitur: *non quilibet potest ire Corinthum*, non est idem, ac dicere: *nullus potest ire Corinthum*; sed tantum *non omnis*; ergo tamen aliquis. Sensus igitur est: *sicut mulier carens omni titulo, sic non omnis possessor bonæ fidei fructus naturales facit suos*; ille scilicet, qui *careat omni titulo*; ergo possessor bonæ fidei *cum titulo* facit eos suos.

200. Similiter, quando mulieri in l. *fructus ex arbore donata negatur pomum*, *quia non est ex facto ejus, sicut est fructus industrialis*, idem negatur possessori bonæ fidei. Nam bona fides consistit in facto hominis, quod ad lucrandos fructus naturales ex re aliena non sufficit, nisi simul adsit juris administricum, seu titulus; *sicut non sufficit ad industriales, si non simul adsit opera ejus*; ergo per oppositum, ubi utrumque adest, non negantur fructus naturales.

201. Ex hoc sequitur, titulum emptionis in legibus, bonæ fidei possessori concedentibus naturales fructus, non afferri, *quia onerosus est*; sed *qua verus est*; seu *qua est causa habilis jure*, dominium transferendi; tum *quia ad lucrandos fructus naturales ex aliena re cum titulo, & bonâ fide possessa, non requiritur major titulus, quam ad præscribendum, cui sufficit titulus etiam *lucrativus**, ex l. *unica C. de Usucap transformand*. Ubi dicitur, valere usucaptionem rei, licet ex titulo *lucrativo accepta sit*: tum *quia l. fru-*

1. *fructus* agitur solum de carente titulo; tum denique quia possessor bonae fidei in fructibus percipiendis id juris habet, quod dominis praediorum tributum est. 1. qui scit. ff. de usuris. Sed hi percipiunt omnes, esto praedium habeant titulo lucrativo. ergo.

202. Denique negandum est, quod *ly omnes* in 1. *bonae fidei* ff. de acquir: dom: referatur tantum ad operas aliorum, ut volunt aliqui; & non ad *fructus*, ut sensus sit: quod fructus lucretur omnes, non tantum, qui ejus, sed etiam aliorum operâ ad ipsum pervenerunt. Nam ut bene notat Sanchez, si *ly omnes*, referretur etiam ad operas aliorum, deberet dici *omnium*; ut sensus sit: suos facit, non tantum eos, qui diligentia & operis *eius* pervenerunt, sed operis *omnium*, scilicet laborantium; hoc autem est contra sensum legis; ergo *ly omnes* non referatur ad *operantes*, sed ad *fructus*.

ARTICULUS IV.

Cum possessor bonae fidei agnoscat rem à se possessam alienam esse, tenetur restituere fructus mixtos, & naturales ex ea perceptos, qui adhuc extant.

203. Intellige 1. deductis expensis, & laboris aestimatione, secundum dicenda à num. 234. Intellige 2. nisi per triennium eos H pos.

possederit bonâ fide. Quia sic restituzione non sunt obnoxii, sic P. Ant. Perez. tr. 2. de restit. d. 2. c. 5. n. 117. Constat ex L. certum C. de rei vindicat. ibi : *certum est, male fidei possessores, omnes fructus solere, cum ipsa re prestare; bona fidei vero extantes.* Et ratio est, quia res semper aliena mansit; fructus autem fecit suos solum interim, ut habetur L. qui scit. §. vult. ff. de usuris, juxta interpret. Accursii. Confir. quia locupletari non debet aliquis cum alterius jactura; si autem possessor bona fidei (etiam ubi agnovit, rem alienam) fructus extantes licite retineret, hoc contingeret (sed adverte limitationem in num. 205.) ergo.

204. Dices 1. si deberet fructus extantes restituere, posset eos vindicare dominus; hoc autem iste non potest; (quia fructus non sunt eius, sed possessoris) ergo. N. ma. & ob rationem in probatione allatam, dico, repentinus esse à domino, implorato judicis officio, actione scilicet non reali, sed personali, sic Gloss. in L. ex diverso §. non habendam. ff. de rei vindicatione, & Abbas in c. gravis. de restit. spoliat.

Dices 2. si deberet restituere fructus extantes, possessor non fecisset eos suos, contra dicta; quia quod restituere teneor, non est meum. N. sequelam: Ad prob. dist. si deberet restituere, non fecisset illos suos interim. N. c-
tiam

tiam pro casu *evictionis* C. deinde non fecisset eos suos pro quolibet tempore, & absolute C. sub hypothesi quod non evincantur, vel agnoscantur nati ex re aliena N. Hoc dictum: illud, quod teneor restituere, non est meum, fallit 1. in casu vini furtivi meo permisti; nam hoc fit meum, & tamen teneor restituere, secundum estimationem, ut dicam num. 273. Fallit 2. de superfluis Clericorum, ut dicetur num. 339. Hinc quando dicitur L. 52. ff. de divers. reg. iuris: non videtur quisquam id capere, quod est neesse alteri restituere, intellige quod non capiat absolute, & sine omnionere, etiam pro casu evictionis; secus est, conditionate, & quamdiu non evincitur. Nam bonae fidei emptor quoad peripiendo fructus quis presumitur, quamdiu fundus evictus non fuerit. L. qui scit. S. vult. Hinc est eorum dominus solum interim. L. 48. ff. de acquir. rer. dom. adeoque sunt ejus ante evictionem; non, post.

ARTICULUS V.

Possessor bonæ fidei de fructibus absumptis nihil tenetur restituere, nisi quantum inde factus est ditior.

205. **N**am ex L. certum, relatâ superius n. 203. hic tenetur solum restituere fructus extantes; ergo quando in se non extant,

(qualiter fit , quando absumpti sunt) ad nihil tenetur , nisi extent in alio , quo factus sit ditior . Not . autem , valde probabile esse , quod haec obligatio (restituendi fructus extantes .) in dato casu procedat solum de absumptis natura- lib . quando extant in aequivalenti . non autem mix- zis . Prob . ex L . certum , cit . ubi possessor bona fidei deobligatur à restituzione aliorum fructuum , quam extantium , quæ lex , cum faveat , ne effectu careat , sed aliquid operetur ultra le- gem naturalem , deobligantem ipsum à restitu- tione fructuum nullo modo extantium , intel- ligi debet , quod non teneatur restituere nisi extantes in se . Nam lege naturali habet , quod nihil teneatur , quando fructus nec in se , nec in alio extant ; ergo ut favor legis cit . in deobli- gando aliquid operetur , intelligi debet , quod nihil teneatur , quando fructus non extant in se , licet extant in eo , quo factus est ditior . Conf : ex S . et si hereditas . V . si verò Inst : de off : Iudicis ubi dicitur : si verò bona fides possessor fuerit , non ha- betur ratio neque consumptorum , neque non perce- ptorum .

206 . Dices : ex hoc probari , eum nec teneri ad restituendos fructus naturales , si ex iis absumptis factus sit ditior , & in se non extent . R . N . illatum . Nam L . certum , in eo solum fauetur possessori bona fidei , in quo jure gravatur pos- sessor malæ fidei . Nam hunc teneri ad restitu- en-

endos absumptos naturales , fundatur in rei natura, quam sequuntur fructus naturales ; non in mera dispositione juris , ut pat. ex §. cit. n. 358. *Si quis à non domino. Ubi statim sub-jungitur, ei verò, qui alienum fundum sciens posse-derit, non idem concessum est (scilicet, ut fructus industriaes faciat suos) sed cum fundo etiam fructus, (nimirum industriaes) licet consumpti sunt, cogitur restituere : ergo.*

ARTICULUS VI.

Possessor bonæ fidei , ante rei evictionem , licet retinet fructus perceptos.

207. Intellige , si ante evictionem rei non constituatur verè , & propriè possessor malæ fidei. Quia sic procedit ratio conclusio-nis datæ. n. 144. secùs autem , non retinet li-citè. Nam possessor malæ fidei , nec rem, nec fructus ejus retinere potest. (esset enim fur & usurpator alieni) sed ex momento , quo scit rem esse alienam, evadit possessor malæ fidei. *L. qui bona fide. ff. de acquir. rer. dom. ubi juriscon-sultus ait: tamdiu acquirit ei, quamdiu bona fide servit; si vero cœperit scire, alienum esse, vel liberum, ex eo momento deficere bonam fidem. Con-stat etiam ex c. si Virgo. 34. q. 2. ibi: tamdiu quis bona fidei possessor rectè dicitur, quamdiu se pos-*

fidere ignorat alienum, cum vero sciverit, nunc mala fidei possessor prohibetur.

208. Hinc quando L. quis sit. ff. de Usuris. dicitur : quod quis intelligatur possessor bone fidei, quamdiu res evicta non est, intellige quoad præsumptionem, non autem re vera. Cum hoc stat, quod aliunde cognitâ veritate, præsumptio cesseret. Ita Fachinæus lib. I. Controv. c. 59. contra Covarruviam l. I. variarum resol. c. 3. n. 7.

209. Si dicas, eam legem intelligi non posse de mala fide præsumpta, cum ibi dicatur, quod emptor bonæ fidei, qui scivit, & antequam fructus perciperet, cognovit fundum alienum esse, debet intelligi possessor, seu emptor bonæ fidei, quoad fructus percipiendos, quamdiu fundus evictus non fuerit ; ergo sciens fundum alienum esse, (isto non evicto) manet emptor bonæ fidei respectu fructuum inde percipiendorum.

210. R. N. ant. quia easus allatus post primum textum erat ibi specialis quæstionis. Hinc ad prob. c. ant. dist. conf: ergo manet emptor bonæ fidei ad percipiendos fructus à se seminatos bonâ fidei. etiam quoad alios N. conf. Nam qui bonâ fide seminat in agro alieno, non perdit fructus vel eorum æstimationem, esto cognoscat postea, fundum non esse suum, ut dicam infra, in quæstione de modis acquirendi rerum dominium.

A R.

ARTICULUS VII.

Possessor bonæ fidei non tenetur
restituere fructus perceptos, & absumptos
à tempore litis contestatæ, licet po-
stea evictæ.

211. **S**ed hoc accipe cum limitatione: *nisi in litis contestatione allegentur illæ circumstan-
tia, quæ ante evictionem, prudentis arbitrio, demon-
strant rem esse alienam.* Ratio asserti est 1. Quia
per solam litis contestationem nemo constitu-
itur in mala fide *revera*; sed ad summum, in
mala fide *præsumpta*; cum tali quippe litis ini-
tio stat, quod quis sciat rem non esse alienam;
ergo etiam lite contestatâ potest quis manere
possessor bonæ fidei, de quo num. 143.

212. Ratio est 2. *Quia l. se fundum C. de res
vindic. dicitur: fructus restituendos esse, quos
cum mala fide percepisse, fuerit probatum;* sed per
hoc, quod lis intentetur, & postea evincatur,
non est probatum, fructus, lite pendente perceptos,
esse perceptos cum mala fide *revera*. Nam quo-
usque res fuerit evicta, vel probationes prius
adductæ non demonstrant rem alienam esse,
non probatur mala fides, esto lis contestata sit,
ergo. Ita Sanchez l. 2. decal. c. 23. n. 163.

213. Quamvis autem non paucæ leges ci-
tentur in oppositum, quæ dicant: possessores

post litis contestationem haberi pro possessoribus
mala fidei. R. tamen omnes procedere de mala
fide præsumpta; non, revera. Hinc etiam habes.
I. certum, C. de rei vindicat. quæ dicit, quod pos-
sessor malæ fidei omnes fructus soleat cum ipsa
re præstare; bonæ fidei verò, extantes: post li-
tis autem contestationem, universos, intelligi solùm
si adsint illæ circumstantiæ, quæ inducant ma-
lam fidem revera.

ARTICULUS VIII.

Instantiâ litis ob cessationem a-
ctoris peremptâ, non impeditur possessor
inquietatus, quod minus fructus faciat
suos.

214. **I**Ta Palaus cit. §. 8. n. 6. Quia lite sic e-
mortuâ is, qui possidet, nec formaliter,
nec præsumptivè est in mala fide; ergo secun-
dum dicta non impeditur, quod minus fructus
faciat suos. Ant. prob. Nam priùs fuit sine no-
titia, quod res sit aliena, ut ponitur in casu; sed
nec per contestationem litis hanc notitiam ac-
quisivit (ergo non est in mala fide formaliter) nec
etiam ex præsumptione; quia sublato funda-
mento præsumptionis, cessat præsumptio; sed
lite sic mortuâ, cessat fundamentum talis præ-
sumptionis I. cùm lite mora. ff. Iudicatum solvi.
ubi dicitur, quod peremptâ litis instantiâ, censea-
tur,

uer, lis mota non esse non solum quoad litis ordinatio-
nem, sed quoad omnia, qua ab illo iudicio pendent.
Lis autem mota est fundamentum illius præ-
sumptionis, ergo.

215. Dices 1. Possessor ad restitutionem est
obligandus, ex quo est in mala fide; sed à li-
tis contestatione est in mala fide, ergo. R. il-
lum ad summum durante lite, esse in mala fide
præsumpta; sed hanc extingui, lite peremptâ,
cessatione actoris.

216. Dices 2. Tunc solum cessat mala fides,
quæ contestatione litis præsumitur, quando
litis instantia scitur esse perempta per cessatio-
nem actoris *cognoscentis infirmum ius se habere*,
non autem, si cessat ex aliis causis. R. N. ma.
Nam litis peremptio, consequenter omnium,
quæ ab illa pendent, unicè pendet ex cessatione
litis undecunque orta, quia lex cit. loquitur
indefinitè.

217. Dices 3. Per litis contestationem civi-
liter rumpitur possessio ad longi temporis præ-
scriptionem. Hinc possessor litis contestatione
interpellatus, non prescribit rem tempore or-
dinario, sed tantum longissimo, etiam si lis per-
empta sit, cessatione actoris. I. C. de *prescript. long. temp.* sed hoc non ex alio capite,
quam quod mala fides etiam post litem perem-
ptam extraordinario tempore præsumatur
purganda, ergo. R. N. min. Nam leges hoc i-
pso,

pso, quod adfuerit fundamentum præsumendi malam fidem, licet iterum extinctum, ad ejusmodi præscriptione in requirunt longissimum tempus, non ob actu durantem præsumptionem malæ fidei lite perempta; sed ob præteritam, ut vitetur omnis iniquitatis periculum.

ARTICULUS IX.

Possessor malæ fidei tenetur restituere rem, cum fructibus etiam absumptis, saltem secundum aestimationem.

118. Ta Sanchez l. 2. c. 23. n. 97. & 126.

Prob. 1. ex l. si fundum, C. dcrei vindicat. ibi. si tibi volenti fundum meum emere a non domino, denunciavi, ne emeres, quia non erat vendibilis, tamen emisti, teneri te, ad fundum, e& ad fructus, quos malâ fide percepisti, restituendos. 2. ex §. Si quis a non domino saepe cit. ibi: qui alienum fundum sciens posse derit, non idem concessum est (nempe id, quod possessori bonæ fidei) itaque cum fundo etiam fructus, licet consumpti sint, cogitur restituere. Et ratio est, quia sic res aliena vel extat apud illum, vel absumpta est malâ fide: utrumque autem fundat obligationem restituendi, ergo.

219. Sed quid, si injuste consumpsisti rem, aequo peritaram, si mansisset apud dominum, vel casu fortuito, vel alterius vitio? R. dicendum 2. te adhuc teneri ad ejus aestimationem.

Ita

Ita Rebellus l. 2. q. 7. n. 4. Palaus tr. 31. D. unic. p. 24. §. 9. n. 3. Quia tunc adhuc verificatur, à te damnū esse datum per injustitiam absolutē, esto domimus idem damnum aliā viā subiturus erat. Nam futurus rei interitus, non facit actionem tuam justam; cùm nec tibi ius tribuat, nec domino adimat. Obligatio autem restituendi fundatur in damno dato per injustitiam absolutē; ergo.

220. Dicendum 3. Furem non teneri ad restitutionem rei, quæ apud ipsum casu fortuito periit, æquè omnino peritura penes suum dominum. Rebell. cit. Less. l. 2. c. 12. n. 90. Ratio. Quia sic nec aliena res est penes te; nec etiam injustitia commissa est à te in ejus interitu; ergo nec ex re accepta, nec ex injusta acceptione teneris. Quòd enim res non amplius sit, tu per nullam injustitiam causasti, ut ponit causus; vi primæ autem acceptioonis, & retentio-nis, ad nihil teneris, quād ad reddendam rem, si extet velæquivalens, si tuā culpā domino periit. Neutrum est in hoc casu; ergo.

221. Nota tamen 1. Si, dum scis, rem certō peritaram apud dominum (v. g. incendio, incursu hostium &c.) posses probabiliter præsumere, dominum tunc non esse rationabiliter invitum, ut à te absumatur, & absumeres; te ad nihil tunc teneri. Quia sic egisti bona fide. Ita Less. n. 93. contra Palaum. §. 9. n. 3. si autem rem

rem in tali easu non absumpsisse, sed salvasses, restitutiō manet obnoxia, quia non desiit esse domini, quamdiu extat, nisi fuisset derelicta.

Not. 2. cū res in periculo interitus iustē absunitur, & secundū valorem restituenda est, valorem aestimari eum, quem habuit in tali periculo interitus, non extra. Solent autem in ejusmodi periculo res longē minoris fieri, ut bene notat Laym. cit. l. 2. n. 3. cum Palao §. 9. n. 2. ergo.

Conclusionē hanc i. limitat Vasquez q. de restit. c. 5. §. 1. d. 12 n. 78. ut non procedat, si fur inde non evasit dītior, nec dominus eos, re non ablatā, percepturus erat. Sed probabilius reiicitur. Hoc ipso enim, quod fructus ex re dominati nati sint, domini erant, cosque hic percipere debebat. Sic Palaus cit. §. 10. n. 2.

222. Limitant alii. 2. ut non procedat de fructibus natis à melioramento factō à fure in re aliena. Sic Sayrus in clavi regia l. 10. tr. 2. c. 3. n. 2. sed reiicitur, si sermo sit de melioratione, quae est sub dominio domini, sub cuius dominio est res meliorata. Ita Sanch. cit. n. 131. Sic enim fructus nati, domino ex re sua proveniunt. Illæ autem meliorationes ab alio factæ in re mea sunt mæ, quæ solo meo inhærent, & sine incommodo ejus separari nequeunt. Laym. cit. c. 4 n. 4.

223. Limitat. 3. Navarrus in Manuali c.

17. n. 25. ut non procedat in pretio locationis v. g. torquis aurei, non elocandi à domino. Sic enim lucrum locationis se habet in hoc casu, sicut lucrum ex negotiatione cum pecunia deposita. Sed reiicitur. Nam lucrum illud nascitur ex usu torquis inseparabili à torque. Unde sicut usus est domini, sic pretium usus. Hinc. *domum, C. de rei vindic.* jubetur possessor male fidei restituere omnes pensiones, perceptas ex domo per injustitiam occupata. Ergo pensiones locationum non sunt fructus meræ industriæ. Secùs est in negotiatione cum pecunia. Nec lucrum illud immediate respondet *negotiationi*, quæ est actio tua; non pecuniæ, vel ejus usui. Et ideo ex usu secundario pecuniæ nalcens, domino debetur. *Rebell. I. 2. q. 5. Sanch. cit. n.* nisi sit usus puræ industriæ 133. *Palaus. n. 4.*

Certiū est, te tencri ad lucrum cessans domino, quod fecisset usu rei suæ, si ab hoc usu tuâ detentione iniquâ detentus est. Sic enim damni causa est inusta. *Less. I. 2. c. 12. d. 17. n. 116. Hinc. I. domum, cit.* dicitur de possessore male fidei? *Præses provincia cum pensionibus, quæ percepit, aut percipere poterat, cum omni causa danni dati (domino) restitui jubebitur.* Nam, generaliter, cum de fraude disputatur, non quid habeat aëtor, sed quid per adversarum habere non poterat, considerandum est. *reg. 79. ff. de reg. juris.*

224. Loquendo jam de fructibus percipi-

cn-

endis, possessor malæ fidei tenetur etiam eos in
foro externo restituere. pat. ex L. *domum* cit.
si autem eos nec dominus percepisset, proba-
bilius est, eos non teneri in conscientia resar-
cire. *Rebell.* l. 2. q. 5. n. 1. *Sanch.* n. 118. quia
quoad has lex illa solum est in pœnam iniquæ
actionis, & retentionis. Hic porrò titulus lo-
cum non habet in foro conscientiæ ante sent.
Judicis, ut dicam infra.

ARTICULUS X.

De possessore dubiæ fidei.

225. **D**icendum 1. qui rem aliquam abstu-
lit à rei domino, vel possessor bonæ
fidei, dubitans, an res sit sua? manente dubio
tenetur illā restituere antiquo possessori. Nam
hic ratione possessionis in dubio prævalet. Ita
Card. Lugo. de Just. d. 17. f. 40. n. 80.

226. Dicendum 2. Si veritate cognitâ, rem
deprehendas, esse tuam, licet retines, quia sic
retines *tuum*. Sed si eam acceperisti ex titulo vel
oneroſo, vel lucrativo, sed dubitans, an legi-
timè? (ut si dubitas, an non sit furtiva?) ma-
nente dubio, teneris restituere secundūm
quantitatēm dubii. Nam secundūm quod pro-
cedit dubium, prævalet possessio alterius.

227. Dicendum 3. Si emisti rem à possesso-
re bonæ fidei, non teneris restituere, esto su-
per

perveniat illud dubium, de quo sup. Nam sic juvare te potes, possessione bonæ fidei prioris possessoris, cui ex empto successisti.

228. Dicendum 4. Possessor bonæ fidei, propter superveniens dubium, quod deponere non potest, non cogitur restituere. Ita Lug. cit. n. 86, quia talis protegitur à possessione bonæ fidei, qua possidere cœpit; & caret is, qui dubiâ fide cœpit.

229. Not. autem hoc axioma: *in dubio melior est conditio possidentis*, verum esse, si in aliis par sit litigantium causa. Nam sic munitus possessione, carentem, in hoc superat. Ita Lug. cit. Diana. to. 3. tr. 3. resol. 15. Hinc conjunx, qui bona fide contraxit matrimonium, licet reddit, & petit debitum, esto superveniat dubium de valore, quod vinci non possit, etiam post debitam diligentiam. Sanch. l. 2. matr. d. 41. c. 23.

230. Hinc quando in c. dominus. de secund. nuptiis mulieri dubiæ de valore matrimonii negatur jus petendi debitum, casus est de muliere, quæ contraxit mala, vel dubia fide, scilicet non certa de obitu primi viri. Pirhing. l. 4. decret. tit. 21. n. 2. Quando autem in c. inquisitioni. de sent. excomm. mulieri habenti probabile judicium de nullitate matrimonii, negatur venia petendi debitum, non est ex eo, quia bonæ fidei supervenit dubium (de quo hic agimus)

mus) sed quia supponitur non posuisse suffici-
entem diligentiam deponendi dubium, ut vult
Sanch. cit. n. 53. vel quia caruit probabili ja-
dicio de parentia impedimenti, & simul habuit
probabile judicium de illius præsentia.

231. Dices. Ergo nec potuit reddere. Nam
ad hoc requiritur probabile judicium de valo-
re matrimonii &c. N. illatum. Ut enim licet red-
dat, sufficit, quod sciat alterum esse in bona
fide. Hæc enim sufficit, ut fundet probabile ju-
dicium, quod licet reddat, ne alterum in pos-
sessione bonæ fidei, sine certitudine, impediatur
in usu juris sui.

232. Sed, quid, si quis bonâ fide cœpit pos-
sidere, & dubium superveniens deponere amplius non possit, quia culpâ suâ neglexit occa-
sionem veritatis non amplius reperibilem? eo
casu non teneri ad restitutionem vult Rebel-
lus parte 1. de Just. l. 2. q. 5. n. 12. &c. vel du-
bium fuit in genere, an res sit aliena? vel in spe-
cie, v. g. an sit Petri? si primum? sentio cum
Rebello; quia positâ tali omissione, vel negli-
gentiâ deponendi dubium in genere, incertum
est, an res sit aliena, & damnum illatum. Si se-
cundum? sentio cum Cardinali de Lugo cit.
n. 48. teneri restituere, secundum quantitatem
dubii, & majoris probabilitatis, quod veritatem
invenisset. Nam posito tali dubio, Petrus habet
iuris ceruum, ne in dubio res ejus sine debito exa-
mine

mīne retineatur ; ergo huius negligentia ius certum læsum est ; ergo restitutio[n]e reparandum.

233. Dices : Ergo possessor bonæ fidei non potest se contra dubium superveniens per ejusmodi possessionē protegere. R. cum Cardinali de Lugo , quod adveniente dubio probabilitati amplius possideat bonā fide jus , rem retainendis sine debito examine ; quia nec antē acquisivit hoc jus, per possessionem bonā fide cœptam.

ARTICULUS XI.

De expensarum deductione.

234. **N**omine fructuum venit, quidquid superest ex re utiliter percepta ; expensarum verò, sumptus facti in rem alienam, vel ut non fieret deterior, & conservaretur (& hi, sunt expensa necessaria) vel ut evaderet utilior, & æstimabilior (& hi, sunt utiles) vel præcisè, ut magis servirent recreationi ; & sic sunt voluntaria, seu voluptaria. nomine expensarum, etiam venit labor impensus, cum sit pretio æstimabilis. L. in fundo ff. de rei vindicat. His positis.

235. Possessori malæ fidei licitum est in conscientia, expensas necessarias deducere. Sanchez l. 2. c. 23. n. 138. Quia sic non accipit alienum, nec damnificat alterum. Quando autem illi hoc quandoque negatur in foro exter-


no , fit solum in tanti criminis odium , quod non ligat ante sententiam Judicis . Covarr : regulâ peccatum . p. 2. §. 6. n. 4.

236. Idem dicimus de utilibus , quas dominus , volens rem melioratam , fecisset . Sanchez n. 138. Lefs. n. 111. habetur L. si in fundo . Ibi : finge , & dominum eadem facturum fuisse ; reddat impensam , & recipiat fundum , usque eo duntaxat , quo res pretiosior facta est . Si vero dominus non fecisset , adhuc potest , sed eas tantum meliorationes , quae recipi possunt salvo fundo . L. cit. ibi : sufficit tibi , permitti , tollere ex his rebus , quae recipi possunt , ne deterior sit fundus , quam si initio non foret adificatum ; ubi sermo est de possessore bonae fidei , cui lex favet , etiam pro foro externo ; & non favet (solum in poenam) possessori malae fidei ; sed huic ante sententiam Judicis , ut dictum est , non præjudicat in foro conscientiae .

237. Expensas seu meliorationes mercè voluntarias , possessor malae fidei , (licet in foro interno) aufert , si salvo fundo auferibiles sunt ; quia sic accipit suum ; si non possit salvo fundo , constat ex dictis . Si autem expensæ sumantur pro labore impenso ? solvenda est ejus æstimatio ex æquitate naturali , quae non patitur , ut quis alieno damno locupletetur ; sed intellige , si sint in commodum domini .

238. Possessor bonae fidei expensas non solum

lum necessarias, sed etiam utiles licet repetit,
& hoc à fortiori, ut constat ex prædictis. De
voluntariis autem idem sentientum est, modò
dominus earum solutione non damnificetur.
Nam hic, rem suam repetendo, cavere non te-
netur suo damno, alienum.



QUÆSTIO V.

De acquirendo rerum dominio.

239. **D**uo sunt, quæ in præsenti à nobis
considerari possunt; primum est,
quarum rerum? secundum, quot modis licet
acquiri possit earum dominium? Cùm autem &
res variæ, & modi acquirendi multiplices sint;
ea, quæ magis in usum cadunt, exponemus tri-
bus articulis sequentibus.

ARTICULUS I.

De Dominio rerum.

240. **R**es est vocabulum generale, & com-
prehendit non tantum corporalia, ut
servitutes & alia jura (L. rei appellatione 23. ff.
de V.S.) item omnes obligationes, contractus,
nomina debitorū (L. nominis 6. ff. eod.) sed e-
tiam homines (L. omnia 32. §. cùm ita legatur.
ff. de legat. 2.) hinc si tibi obligo ^{omnes res meas,}
^{etiam}

etiam nomina debitorum obligata censentur.
Bald. in L. I. ff. de stat. hom.

Res divini juris, sunt res *sacrae, religiosæ, sanctæ*, aliæ sunt *juris humani*, ut res profanæ, corporales, & incorporales. Res *communes* jure naturali dicuntur, quarum usus communis est omnibus animantibus, ut aër, aqua, mare, ius littora, &c. *Publicæ*, quæ sunt omnium, & singulorum hominum usui expositæ, ut portus, ripæ, forum. Et hæ jure gentium sunt vicinorum, unde non sunt primi occupantis, ut & *communes*.

Aliquæ res sunt Universitatis, aliæ singulorum; quæ scilicet sunt sub dominio totius, ut totius, vel certi individui, vel communitatis, non habentis collectionem hominum sub uno speciali nomine specialiter eis deputato, quo propriè significatur Universitas. Sub nullius dominio sunt, quæ à nullo occupata, sed libera sunt vel *natura*, (ut feræ, pisces, volucres, à nullo adhuc occupatæ) vel *facto*, ut si habeantur pro derelictis; vel *temporis diuturnitate*, ut thesauri; vel *eventu*, ut hæreditas jacens; vel *censuræ*, seu hominum destinatione, ut res *sacrae, sanctæ, religiosæ*. *Sacra* dicuntur per Pontifices consecratæ, aut cultui divino dicatæ, vel mediæ vel immediatæ, ut templa, vasa sacra, bona Ecclesiarum, etiam in sustentationem ministrorum deputata. *Religiose*, quæ ob quan-

dam

dam sanctitatem à communi hominum usu reliæ, remotæ, & reverendæ sunt; ut sepulchra hominum &c. Sanctæ, quæ sanctione, seu constitutione quadam poenali ab injuria, & hominum læsione immunes sunt, ut muri, & portæ civitatis; Legati, etiam hostium, &c. de quibus V. S. Thom. 3. p. l. 60. a. 1. ad 2.

§. I.

Dominium naturâ liberorum.

241. **E**A, quæ naturâ nullius sunt, dominio nostro subiiciuntur per apprehensionē factū animo habendi ut nostra. L. 1. ff. de acquir. rer. dominio. ibi: *omnia animalia (intellige naturâ libera) quæ capiuntur, capientium sunt.* Hinc quæ sub alicujus dominio sunt, communiter etiam requirunt cum possessione titulum, ut nobis acquirantur. § per traditionem Instit. de rerum diuis: Titulus significat hic causam de se habilem, & sufficientem ad transferendum dominium, vel rem possidendi. Hinc si causa, ex qua res venit ad te, sufficiens est ad transferendum dominium, habes rem *justo titulo*; & quidem *lucrativo*, si ad te venit ex alterius liberalitate, ut dono, legato; *vel oneroſo*, si cum tuo onere, ut si quid vicissim præstare debueras, qualiter est in emptione, &c.

Potest autem ille titulus (vel causa, ex qua rem habes) esse *verus*, vel *putativus*, *justo scilicet*

cet errore interveniente, ut uberior dicam n. 287. &c. Error autem triplex est, *justus*, *injustus*, & *justissimus*. *Injustus error*, est error in jure, quo quis putat, aliquem actum *sub tali circumstantia facere*, non esse legib. prohibitum, ut magis patebit ex n. cit. *Justus* autem error est, cum quis errat in facto, non quidem proprio (nam error in facto proprio, sine alterius inductione commissus, est error injustus) sed vel proprio ex persuasione adversarii ; vel alieno ex persuasione authoris dicentis se id fecisse, quo casu hic error dicitur *justissimus*, sicut etiam, si contingat hic error, si quis alteri succedat dicenti, rem fuisse suam, vel ex publica fama, vel opinione vulgi, vel assertione viri probi.

§. VII.

Dominium hominum.

242. **S**ermo est de dominio, quod datur in servos civili, & legali servitute obstitutos dominis, in ipsorum commodum. Hæc servitus, quâ servus subiicitur meo dominio, 4 modis constituitur. *bello, crimine, venditione, necessitate*. Capti à gerentibus bellum justum, servi fiunt capientium, ex jure gentium. L. hostes pro captivis. ff. §. itemque ab hostibus. Institut. de rer. div. Cùm enim justè occidi possint ; minus est, libertate privari, & addici servituti. V. Castro-

palaum tr. 31. de Just. D. unica p. 9. n. 3. ser-
vum bello effectum licet à domino fugere (ut
probabilius opposito) affirmatur cum Lessio
l. 2. c. 5. Quia si servus bello captus , ad suos
redit, liber fit. §. item ea. Instit. de rer. divis : er-
go fugiendo non peccavit. Alias peccato de-
cernerent leges præmium 2. quia non videtur
magis obligatus manere apud dominum, quam
reus in carcere ob delicta : sed hic licet fugit, si
clam potest. ut docet Lugo. de Just. d. 6. f. 3.
n. 22. ergo & ille.

243. Crimine servus fit , quando delictum
tale est, ut iudicio prudentis hâc pœnâ dignum
fit , quale est, quod meretur pœnam mortis ,
vel mutilationis. Coll. ex §. servi, Inst. de jure
personar. Venditione fit aliquis servus , cùm ex
rationabili causa scipsum vendit alteri. Cùm e-
nim quisque sit suæ libertatis dominus , potest
hujus dominium transferre in alterum.

Sed possuntne parentes liberos suos in ser-
vos vendere ? de jure naturali, si adsit gravis ne-
cessitas , affirmat Lessius l. 2. Just. c. 5. d. 5. n.
17. sed , probabilius negatur cum Rebello. de
obligat. Just. l. 1. q. 9. quiâ sic plus potestatis
conferrent in emptorem parentes , quam ha-
beant in liberos. contra reg. 78. in 6. parentes
enim in liberos solum habent jus jurisdictionis
gubernativæ ; non , proprietatis.

244. Nativitate servus fit filius ancillæ , esto

patrem habeat liberum. L. partum C. de rei vindic. & c. unico. de natis ex libero ventre. c. i. de servis non ordinand. Sed ob favorem libertatis (§. sed & si quis. Instit: de ingenuis) statutum est, ut proles censeatur libera, si nascitur de matre, quæ vel tempore conceptionis, vel uteri gesti, vel partus, fuit libera. V. Castropal. p. 11. ubi exponitur, quibus modis servi evadant liberi.

§. III.

Dominium rerum bello caprarum.

245. **C**arta ab hostibus in bello justo, jure gentium, fiunt capientium. §. item ea. Inst. de rerum divis. Sed hoc intellige, de gerente bellum justum, vel offensivum, vel necessarium, seu defensivum: non autem gerente bellum injustum. Bella offensiva, quæ à multis geruntur, vel ad vires hostium atterendas, vel ad amplificandas ditiones, vel ob alias rationes, quas vocant, status, non dici justa Theologicè, consequenter in conscientia ad restitutionem obligare damnorum illatorum subditis, Principis gerentis bellum defensivum, docet Wadingus. de contractibus D. 7. d. 3. §. 2. n. 2.

246. Miles sub Principe gerente bellum justum, recuperans prædam subdito sui Principis eruptam ab hoste, non acquirit ejus dominium, sed tantum habet actionem negotii ejus utiliter gesti. Ratio 1. quia subditus per hostem non

non fuit exutus dominio. 2. quia hoc est ex tacito consensu, quorum commoda per militem procurata sunt. Wading. cit. Si autem auferat subdito sui Principis, rem aliquam, peccat contra justitiam (quia laedit ius alienum) Nec validè vendit (defectu dominii) nec aliis, furti conscientius, validè emit, ex eadem ratione. Cùm urbe per hostem captâ res civium diripiuntur, & vili pretio veneunt, licet emis, sed animo reddendi vero domino, recepto tuo prelio. Sic enim negotium ejus utiliter geris. Si autem dominus non comparet, licet retines, præsertim, si venditor fuit miles justi belli. Reginald. l. 21. c. 8. f. 4. Bonacina. d. 2. de re sit. p. 1. tunc enim rationabiliter præsumitur, eam esse dominorum voluntatem.

§. IV.

Dominium rerum inventarum.

247. **T**Hesaurus jure gentium integrè cedit inventor, sive in proprio, sive alieno fundo invenerit. Ratio est ex n. 241. quia thesaurus non est sub ullius dominio. Inventus in proprio fundo, jure communi totus est inventoris §. *thesaurus. Instit. de rer. divis. & cit. l. unicā C. de thesaur.* Inventus in fundo alieno ex casu fortuito, de jure communi ex æquo dividendus est cum domino fundi, ut dicitur cit. legib.

Æquum

Æquum enim est, ut dominus ex thesauro sui fundi commodum habeat.

248. Inventus in alieno fundo cum licentia domini, scientis cum ibi latere, ac ex intentione quæsus, totus est inventoris, secluso speciali pacto. Sic Navar. in sum. c. 17. n. 175. contra Ant. Goméz apud Palaum tr. 31. D. unic. p. 17. n. 2. qui adjudicat totum domino; sed ratio est, quia tunc dominus sciens, consentiens, & nihil sibi pacto reservans, videtur cessisse suam partem inventorii. Si autem dominus ignoravit latere aliquid, obtenta quærendi licentia non juvat, ut thesaurus inventus non sit domini. Nam consensus ex errore circa rem ignoratam nullus est. Less: de Just. l. 2. c. 5. d. 15. n. 60.

Thesaurus in fundo alieno, ignaro domino ex intentione quæsus, & inventus, totus est domini fundi, habetur l. unicâ C. de thesaur. Sed teneturne inventor domino reddere, ante sententiam Judicis? *Et* cum Less. cit. n. 59. legem reddendi pro hoc casu esse pœnalem, quia cum l. cit. inventores jubentur, in dato casu, totum domino reddere, ratio datur: *Ne quis audeat invitis dominis opes abditas in alieno agro scrutari.* Hinc si secùs fecerint, dicuntur compellendi, ut reddant; sed hoc arguit pœnam delicti, ergo. Quo posito ad quæst. *Et* negativè; ratio est ex natura legum pœnalium, quæ

requirunt factum hominis exequentis.

249. Sciens in alieno fundo latere thesaurum, licetè fundum emit pretio, quod valeret fundus, si non haberet defossum thesaurum, etiamsi venditor, seu dominus ignoret illum latere; nec, si post emptionem inveniat thesaurum, etiam ex intentione quæfitum, obligatur aliquid de illo restituere priori domino fundi. Ita S. Thom. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2. Less. cit. n. 62. Quia dat justum pretium; ergo licetè emit. Ant. prob. Quia fundus non evadit pretiosior ratione latentis thesauri; tum quia ignoratus est à domino; tum quia non est pars; nec fructus fundi, ut dicemus n. 25 i. quod autem nihil debeat priori domino post inventionem, ratio est, quia ponitur eum invenire arte licitâ in fundo jam suo *exempto*.

Dixi, *arte licitâ*. Nam thesaurus etiam in proprio fundo arte illicitâ v. g. per magiam inventus, pertinet ad fiscum Principis l. *unica C. de thesaur. junct. Gl. V. arte.* Sed hoc intellige, si dominus inveniat arte illicitâ. Nam si alius sine culpa domini taliter invenit, æquum non est dominum suâ portione privari. Rebellus l. 1. q. 15. sect. 2. n. 14. Hinc fisco tunc cedit sola portio alias respondens inventorî. Nam *pœna suos authores non egrediuntur*, per L. *sancimus. C. de pœnis.*

250. Quoad thesaurum inventum in aliquo fun-

fundo emphyteutico, fundus censetur proprius respectu emphyteutæ; non domini directi; unde in hoc casu respectu talis fundi dominus directus habet se ut extraneus. Ita Palaus cit. n. 11. Schneidewin. l. 2. Instit. tit. 1. §. thesauros. n. 6. quia ad Vasallum, & Emphyteutam spectant dampna fortunæ, per l. 1. C. de jure emphy: ergo etiam commoda, per l. secundum naturam. ff. de reg. juris. Sed thesaurus dicitur dampnum (consequenter etiam commodum) fortunæ per, L. si is, qui in aliena? 63. §. ff. de acquir. rer. dom. ergo. Hinc in dato casu dicendum respectu emphyteutæ, acsi esset dominus fundi. Et ideo vel extraneus, vel etiam dominus directus inveniens thesaurum casu in fundo emphyt: dimidium debet emphyteutæ; totum autem, si ex intentione, secundum dicta.

251. Quoad thesaurum inventum in fundo usufructui subjecto, usufructuarius censetur inventor in fundo non suo, sed alieno. Palaus cit. n. 10. Rebell. q. 15. s. 2. n. 17. Nam illi talis non est subjectus, nisi in ordine ad usum, & fructum: sed thesaurus non est fructus fundi. per l. divortio. §. si fundo. ff. soluto matrimonio. Ubi negatur marito dominium thesauri inventi in fundo dotali, licet habeat usumfructum fundi, quia thesaurus non est fructus fundi. Eodem modo, in ordine ad hunc effectum,

censetur inventor thesauri in fundo alieno, qui cum invenit in fundo locato, commodato priori subdito, hypothecato &c. (habent enim ad summum tantum usum ejus fundi, vel solum fructum) hinc de iis discurrendum in hoc casu, secundum dicta.

252. Inventus in loco publico (v. g. foro, via, platea &c.) non possesso à Principe, vel magistratu jure proprietatis, sed tantum jurisdictiōis gubernativae, integrè pertinet ad inventorem, etiā si invenerit ex industria. Nam leges jubentes, thesaurum inventum in fundo non proprio inventoris, restitui domino, restrinquent ius gentium, ut const. ex dict. ergo strictæ interpretationis sunt, scilicet de fundo alteri subiecto jure proprietatis. Dices. §. thesauros. Inst. de rerum divis. dicitur : *si quis in loco fiscalis, vel publico, vel civitatis, thesaurum invenerit, dimidium esse fisci, vel civitatis.* Rx. intelligi, si fundus illi subsit jure proprietatis ; non autem secūs. Ita Covar. reg. peccatum. p. 3. §. 2. n. 3. Less. d. 16. n. 93.

253. Fundus sacer &c. per ordinem ad effectum thesauri inventi, censetur proprius, & sub dominio superioris Ecclesiae. Rebell. l. 1. q. 15. s. 2. n. 13 Schneidew. cit. n. 9. exc. 1. de sent. & re judicata. Adverte autem, quod prædicta de acquirendo thesauri dominio per inventionem non procedant in casu, quo pecunia,

cunia, vel alia res mobilis invenitur in superficie terræ, angulo domûs, vel inter alias res mobiles. Laymon. l. 3. tr. 5. c. 5. n. 23. Navar c. 17 n. 175. Nam thesauri dominium ideo cedit inventorî, quia jure censetur non habere dominū ob temporis vetustatem, quæ ratio locum non habet in casu nostro. Si dicas, quid ergo faciam cum re inventa, cuius dominum nescio? & computandam esse inter bona incerta secundū dicenda n. 257.

254. Qui rem dono accipit, vel emit v. g. cistam antiquam &c. in qua deinde invenit pecuniam, vel gemmam, aut quid simile absconditum, quod, quomodo eo devenerit, vel ibi, aut à quo depositum sit, ignoratur, hic non acquirit ejus dominium. Sic Palaus p. 17. n. 13. Schneid. §. thesauros. n. 4. Ratio. Nam alter, cùm hoc ignoravit, ejus dominium non transculit ex contractu. Inventio autem tibi non confert dominium per num. prior. nec etiam ullus aliis titulus, ergo computare debet inter bona incerta.

255. Venæ metallinæ noviter inventæ, probabilius sunt domini fundi, jure comuni (nam si aliud alicubi habet ius patrium, secundū illud agendum est.) Ratio, quia sunt pars fundi ex rei natura. Cæteræ res (quæ sunt sub nullius dominio, ut unio, vel lapilli pretiosi inventi in littore maris) secundū dicta n. 24¹. sunt i. occupantis. V. Molin. tr. 2. d. 52.

§. V.

§. V.

Dominium bonorum derelictorum.

256. **H**Æc esse primi occupantis const. ex §.
ult. & p̄ult Instit. de rer. diuis. l. 1. cū
seq. ff. pro derelicto. Res vera est, etiam de im-
mobilib. Schneidew. l. 2. Instit. tit. §. qua ra-
zione. n. 2. Censentur autem verè derelicta, quæ
dominus ita deserit, ut illa nolit amplius habe-
re in bonis suis; vel abjecta, recuperare negli-
git, esto facile posset. Hinc, quæ quis deserit,
vel abiicit, ob periculum naufragii, incendii,
hostium &c; vel itinerans casu perdit ex cur-
ru &c, non sunt bona verè derelicta, cùm do-
minus non deserat ea animo, non habendi in
bonis suis, si posset. V. Schneid. cit. §. fin. Less.
lib. 2. c. 5. d. 18. fine.

§. VI.

Dominium bonorum incertorum.

257. **B**ona incerta dicuntur, quæ dominum
habent, sed ignoratum. Qui habet ta-
lia bona, dupliciter habere potest, juxta dupli-
cem modum, quo ad ipsum devenerunt. 1. ex
dericto, puta furto, usuris &c. 2. legitimo titulo,
ut emptione, vel simili causa iusta, qualis est in-
ventio casualis, &c.

Nota autem, inter bona incerta non nume-
rari ea, quæ quis habet, quocunque demum ti-

tulo, sed ignorans dominum ex culpa sua, pūta, si neglexit culpabiliter eū inquirere. 2. nec debita, quæ quis scit deberi uni duorum, licet ignoret, cui determinatè? hæc enim dividenda sunt utrique secundùm rationē dubii, quod ei debita sint (primum tenet Lug. d. 6. s. 12. n. 132. secundum Less. l. 2. c. 5. d. 1. n. 2.) 3. nec legata, quæ facta sunt non designato hærede. Vafq. *de rest.* c. 5. §. 4. d. 1. n. 5. 4. nec bona, quæ quis habet ex damno à se dato toti urbi, vel oppido. Lug. cit. & alii; his positis.

258. Bona incerta, quæ quis habet ex delicto, jure positivo sunt distribuenda in pauperes, & causas pias, si post debitam diligentiam verus dominus haberri non porest. Hæc est communis & pat. c. *cum tu. de Usuris.* c. *nemo, qui capit.* 14. q. 5. quod desumptum est ex S. Hier. unde hujus cap. vis non est major, quam author; si tamen ipse pauper es, potes in tali casu tibi servare secundùm tuam indigentiam. Rebell. l. 2. q. 12. n. 3. Lug. n. 3. Et ratio est. Quia in tali casu videtur meritò præsumi, eam esse voluntatem verorum dominorum.

259. Quæ autem quis habet sine delicto, probabilius licet retinentur ab illo, qui habet, eo tamen animo, ut si verus dominus resciri posset, & continget, ei satisficeret. Ita Sotus l. 5. de just. q. 3. a. 1. Palaus p. 19. n. 3. Tambur. l. 8. dec. tr. 4. c. 1. §. 3. n. 23. & alii, contra

tra Molin. d. 746 &c. Nam obligationis restituendi etiam ea pauperibus non habemus fundatum. Jura enim præcit: loquuntur de delicto. Dices cum Molin: bona incerta habent actualem dominum. Ergo non sunt censenda derelicta, sed applicanda juxta præsumptam ejus voluntatem, quæ certè est inter fideles, ut impendantur ad Dei cultum in bonum animæ illius. Hæc ratio mihi probabilem facit opinionem Molinæ. *¶* tamen C. ant. dist. cons. ergo non sunt bona physicè derelicta C. moraliter N. Cùm enim dominus non habeat spem recuperandi, judicatur humano modo non amplius velle disponere de illis. Sic Tambur. Cæterùm ego existimo, non posse idem præsumi in casu, quo quis habet bona incerta sine delicto, & cum delicto. Potius enim præsumi potest, Dominum velle, ut inventor, & universem omnes bonæ fidei possessores, ea inventa servent; & fruantur, quandoquidem habent bonâ fidem, & sine injuria domini.

§. VII.

Dominium bonorum Vacantium.

260. **B**ona, quæ quis relinquit post mortem, quin de illis disposuerit, & adsit hæres legitimus, qui ab intestato succedat, vocantur bona vacantia, Tamb. cit. l. 8. dec. tr. 4. c. 1.

K

§. 3.

§. 3. n. 13. Schneidew. l. 3. Instit. tit. 1. de successione fisci. n. 13. Tunc autem censentur deficere tales hæredes, quando nullus eorum vel adest, vel ad futurus putatur, qui lege vocantur ad successionem. Vocantur autem proximè agnati, usque ad 10. gradum inclusivè, si aliunde ad succedendum non sint exclusi, ut censent nati ex incestuoso, nefario, & damnato concubitu, vel incapaces ob crimen loæfæ Majestatis, perduellionis, vel hæresis.

261. Laicorum bona vacantia dispositione juris communis pertinent ad fiscum, ut habetur L. 1. & 4. C. de bonis vacant. excipe bona vacantia peregrini. Hæc enim auctoritate Episcopi loci, in quo defunctus est, in piis causas distribui debent (authent: omnes peregrini. C. communia de successionib.) nisi forsitan hospitale, in quo decepsit, habeat privilegium succedendi. V. Molin. D. 53. & Pirhing. l. 3. decret. tit. 27. f. 2. §. 1. n. 26. De successione Ecclesiæ ab intestato in bonis Clericorum. V. dicenda n. 367.

ARTICULUS II.

De modis acquirendi dominium.

262. **C**ommunis regula est, quod ædificium, vel planta, fundo consolidata,

cedat domino fundi. §. Cum in suo solo. Instit.
de rer. divis. L. adeo §. cum in suo ff. sed. his pa-
fitis.

§. I.

De dominio rerum per ædificationem & plantationem.

263. **S**equitur 1. quod ex meo fit in meo solo, me-
um esse. Ratio est ex data regula 2.
Quod ex aliena materia fit in meo solo, meum esse.
prob. ex eadem regula. & L. 5. C. de adifi. pri-
vat. sed nota, si alius malâ fide de suo ædificat
in meo solo, nihil illi deberi à me, etiam diru-
to ædificio; quia censetur donâsse, ut constat
ex cit. legib. si autem bonâ fide, debet ei do-
minus fundi, vel æstimationem materiæ / hanc
enim vindicare nequit non diruto ædificio, L.
I. ff. tigno juncto) vel hoc diruto, materiam, si
prius non recepit æstimationem. *Quia nemo*
locupletari debet cum alterius detimento. L. Nam
hoc natura. ff. de condic. indebiti.

264. Notand. autem 1. nomine tigni venire
omnem materiam, ex qua fiunt ædificia; ut
lapides, trabes, calcem, tegulas &c. legib. cit.
& L. tigni 62. ff. de verb. signif. Dixi si mala fide
de suo. Nam si quis mala fide in meo fundo æ-
dificat ex aliena materia, dominus soli efficitur
dominus ædificii, sed non materiæ, nisi præ-
stet æstimationem L. 2. C. de rei vindicat.

Nota 2. quæ dixi de acquirendo dominio per ædificationem, procedere etiam de plantatione rei meæ, vel alienæ in fundo meo. Ut primum enim radices egerit in meo fundo, mea fit secundùm dicta; non autem priùs. Unde nec ædificii dominium acquiritur ædificatione, antequam perfectum sit; quia non entis non est dominium. Palaus tr. 31. D. unic. p. 20. n. 1. intellige tamen juxta num. 265.

Nota 3. si planta radices egit, æquè in tuo ac alieno solo, utriusque communem esse. L. adde §. fin. si tamen in tuo solo plantata sit, esto in alienum aliquas radices mittat, tuam esse. L. si plures §. fin. ff. arbor: furtim casar: si alterius fundo domestico exinde damnum nascitur, ut potest juris remedio, ut evellatur; non autem potest suâ authoritate. L. 1. C. de interdict. L. 1. ff. arbor: cædendi: si autem fundo rusticō, non est succidenda, sed rami ejus cöercendi sunt per L. 1. ff. cod: in dubio, an noceat? standum est arbitrio rusticorum. Layman. l. 3. sum: sect. 5. tr. 1. c. 5. n. 22.

§. II.

De dominio rei per formationem, & specificationem.

265. **M**ateria dicitur formari seu specificari, cùm accipit novam speciem, vel for-

formam. Fit dupliciter 1. ut possit redire in veterem formam (sic auri massa in calicem formata, hoc soluto redire potest in veterem massam) 2. Cùm non amplius potest, ut si ex uvis vinum, ex olivis oleum exprimas. Hoc secundo modo dicitur propriè *specificari*. Dominium materiæ (juxta §. *Cùm ex aliena*. Instit. de rer. divis.) jure naturali acquiritur ab ipsam specificante per specificationē propriè dictam, & bonâ fide factam ; hinc domino materiæ solvitur solùm ejus æstimatio. Si facta sit malâ fide, cedit domino materiæ ; quia specificans præsumitur domino materiæ donâsse specificationem, vel egisse temerè. L. de eo §. si quis. ff. *Ad exhibendum*. In specificatione primo modo, dominus materiæ hanc vindicat solutâ æstimatione formationis factæ bonâ fide, non autem malâ. L. adeo. §. cum quis. ff. de acquir. rer. dom:

266. Dices: per legem de eo §. si quis. ff. ad exhibendum dicitur: quod ex meo fit, meum fit; ergo vinum expressum ex meis uvis, meum fit. Ergo non exprimentis illud etiam bonâ fide. Q. ant. esse verum de eo, quod ex meo fit, vel a me, vel *meo nomine*; non autem, quod ab alio nomine suo, nisi agat mala fide. & sub hac dist: N. conf. Et ita intelligi hanc L. in hac quæstione debere docet Schneidevv. cit. n. 4. neque per hoc alter locupletatur cum alterius jactura, cùm tencatur ad æstimationem materiæ.

§. III.

De dominio rei per accessionem.

267. **A**cceſſio significat factum hominis, quo aliena materia ipſius materiæ ſic annexitur, ut poſſit ſeparari. Nam ſi ſeparari, vel diſcerni non poſſit, potius confundi & miſceri dicitur: v. g. purpuram vel ſericum alienum, aut quid ſimile in ornatum tuæ veſtis adhibuisti; quæritur, an hac accessione ipſo factis dominus materiæ priùs alienæ? licet cum obligatione reddendi aëſtimationem priori domino. Tambur. cit. §. 4. l. 8. t. 3. c. 3. n. 9. ait: quod omnis aequitas poſtulet, ut illa pars adjuncta priori domino remaneat. Cæterum §. ſi tamen. Inſtit. de rer. divis: dicitur: fieri ejus, cui accessit. Hoc, puto, locum habere ad ſumnum, ſi pretiosius in ſe, adhibetur præcise in ornatum alterius (ſic enim eſt quid accessorium) probabilior tamen eſt opinio Tamburini, quam etiam ſequitur Palaus p. 21. n. 4. Quia ly accessorium ſequitur principale, ſolum procedit, cum res justè accedit.

§. IV.

De dominio rei, per procreationem, ſatiōnem, & fructuum perceptionem.

268. **Q**uæ ex noſtriſ animalibus procreantur, ſeu naſcuntur, noſtra ſunt, dicitur

citur §. item ea. Instit. de rer. divis. Et sic acquiritur dominium rei procreatione. L. 2: & 6. ff. eod. sed hoc intellige, si dominus rei simul habeat dominium utile, seu usumfructum; secūs, fœtus pecudum cedunt usufructuario, quia sunt in fructu L. in pecudum. ff. de usuris: non tamen partus ancillæ; hic enim cedit domino directo; quia partus ancillæ non est in fructu. §. in pecudum. Instit. de jure personar. Quomodo autem acquiratur dominium rei satione natæ, constat ex n. 263. de natis ex plantatione, cùm habeant se eodem modo. Nata verò ex perceptione fructuum, cuius dominio cedant? constat latè ex dictis à n. 193.

§. V.

De dominio rei per alluvionem, & vicinitatem.

269. **A**lluvio est incrementum vel decrementum alicui prædio factum cursu fluminis; fit dupliciter; primò sensim, latenter, & occultè, ut vix advertatur accessio per diem facta. 2. apertè, patenter, non paulatim, sed impetu repentino, & vi fluminis, quo posito dicendum, incrementum & decrementum latens ejus esse, cuius est prædium. Quia id, quod prædio sic additum est, moraliter est idem cum prædio.

Si autem sit patens, & vel pars tui prædii alterius; vel alieni prædii, tuo prædio, adjecta sit, pars adjecta manet sub dominio, sub quo antè erat, nisi eam dominus habeat præderelicta. Constat apertè ex l. adeo. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. ibi. quod si usus fluminis partem aliquam ex tuo prædio detraxerit, & meo prædio atulerit, palam est, eum tuam permanere; si autem longiore tempore in meo fundo hæserit (ut scilicet coaluerit cum terra mea) arboresque, quas secum traxerit, in meum fundum radices egerint, mihi acquisita est. Sic L. cit.

270. Insula vero in medio mari nata, jure gentium est primò occupantis; nata in medio flumine, pertinet ad habentes prædia ex utraque ripa; si uni ripæ vicinior sit, pertinet ad habentes prædia in ea ripa: quando autem inde fit insula (quia flumen in duas partes fissum, cingit alicuius prædium) ejus est, cuius est præmium l. adeo cit. & §. Insula. Instit. de rerum divis.

271. Si flumen per novum alveum antiquo derelicto fluit, ille ad eos pertinet, qui utrinque è regione prædia habent, idque jure vicinitatis. Alveus autem denuò occupatus, publicus efficitur, licet post longum tempus ad eum priùs desertum revertatur flumen. §. quod si naturali. Instit. eod. L. cit. adeo. §. Insula. & L. ergo. ff. eod. Alveus autem fossam denotat, quæ flumen delabitur. §. IV.

§. IV.

De dominio rei per commixtionem, & confusionem.

272. **C**Onfundit dicuntur, quæ simul partunt novam speciem, ut mulsum ex vino & melle; electrum ex auro & argento, sic Schneidewin. l. 2. t. 1. §. quod si frumentum. n. 2. Cæterum aptius ea dicuntur confundi, quæ permixta non possunt discerni; ut si misceas meum vinum cum tuo: commisceri verò, quæ adhuc distincta manent; ut cum grex ovium alteri gregi, acervus tritici acervo alteri permiscetur. Palanus cit. p. 21. n. 5.

273. Quæ confusa sunt utriusque domini consensu, utrique communia fiunt pro indiviso (hinc si unus totū possideat, alteri datur actio contra ipsū comuni dividendo) idē dic, si casu. §. si duorum, Instit. de rer. divis. l. adeo. §. voluntariis. de acquir. rer. dom. Si autem rem alienam cum tua confudisti volens, altero ignorante, acquisitis dominium totius corporis, sed cum onere restituendi alteri estimationem suæ materiæ. L. si alieni. ff. de solutionib. saltem quando tuæ materiæ majori confusum est alienum; hoc intellige, de confusione, quæ confusa reddit indistincta: quæ verò commixta solum sunt, ut adhuc sub suis qualitatibus discerni possint, vendicari possunt à quolibet dominorum. l. si in rem. ff. de rei vindicat.

• • • • • • • • • • • •

QUÆSTIO VI.

De præscriptione.

274. *U*SUcapio (ut inquit Modestin. in tit. *de Usucaptionibus*) est acquisitio domini per continuationē possessionis, tempore & modo legib⁹ definito. Aliqui tamē volunt usu-
cpcionem esse mobilium; præscriptionem im-
mobilium, & incorporalium. Sed hoc discri-
men alii meritò reiiciunt (teste Castropalao d.
unica. de Justitia in genere, p. 22. §. 1. n. 4) volentes usucpcionem esse modum acquirendi
dominium rei alienæ; præscriptionem autem
esse exceptionem legalem, quā prior rei domi-
nus, repetens rem suam, à tali possessore in ju-
dicio, repellitur propter possessionem tanti
temporis, modo legibus definito. Cæterū
sæpè pro invicem sumuntur, quod & nos fa-
ciemus in sequentibus.

ARTICULUS I.

Præscriptio legitima procedit
etiam in foro poli.

275. *P*Ræscriptio legitimè finita in foro ex-
terno eum, qui præscripsit, reddit se-
cu-

AUD

eturum super re præscripta, ut à priori domino molestari non possit; huic enim adimit dominium finitâ præscriptione, & illud constituit in eo, qui præscripsit ut constabit ex n. 311. Quæstio nunc est, an etiam in foro poli, seu conscientiæ procedat? & is, qui legitimè præscripsit rem alienam, licet retinere possit, esto post finitam præscriptionem resciat, fuisse alienam?

276. R^e. affirmativè cum Layman. l. 3. sum. s. 5. t. 1. c. 8. Fachin. l. 1. c. 64. & communi. Quia qui dominium alicuius rei legitimè acquisivit, licet illam retinet, & in foro conscientiæ securus est; ergo qui dominium rei acquisivit præscriptione legitimâ, securus est in conscientia; nam quod præscriptio sit legitimus modus acquirendi dominium rei alienæ, etiam sine voluntate domini, patet, quia hanc vim illi constituerunt justæ leges (L. 3. ff. de Usucapionib.) & latæ propter bonum commune in hunc finem; ne dīm, & fere semper incerta essent rerum dominiar. L. 1. ff. de Usurpat. & Usucap. Conf. quia jure Canonico reprobatur ea solùm præscriptio, quæ facta est malâ fide. c. fin. de præscript. cit. infra.

277. Pro sol. object. not. 1. per legem positivam, quæ præscriptioni legitimæ tribuit vim adimendi dominium, & constituit in eo, qui sic præscripsit, concedendo ipsi, ut præscriptione finitâ rem præscriptam retineat, licet complicitat,

riat, rem illam prius fuisse alienam, nihil statui contra jus naturale, quod docet, nullum licite retinere alienum. Quia finitâ præscriptione res non amplius manet aliena, sed est propria præscribentis.

278. Nota 2. verum esse, quod qui scit sententiam judicis alicui rem aliquam adjudicantis, nisi fundamento, aut præsumptione falsâ, non possit rem illam salvâ conscientiâ retinere; quia judex non attribuit dominium absolutè, sed tantum sub conditione, si vera sunt allegata; nec condit novum ius, sed tantum declarat antiquum. Unde, si in re nullum ante fuit, etiam declaratio nulla est: at præscriptio legitima tribuit rei dominium absolutè, & præscribenti constituit novum ius auctoritate publica in re præscripta; ergo.

279. Nota 3. negandum esse, quod pro foro conscientiae cesseret finis legum præscriptioni faventium. Hic enim finis est, bonum commune, ne diu incerta sint rerum dominia, & inde etiam in conscientia possessores inquietentur, litib, &c.

280. Nota 4. concedi, quod nulliter professus in foro solùm externo habeatur pro verè professo, si intra quinquennium contra nullitatem non reclamavit, juxta Trid. sess. 29. c. 19. sed negatur: ergo etiam præscriptio valet tantum pro foro externo. Nam in priori valor pro foro in-

interno nascitur solum à vero consensu, quem potestas publica in ordine ad matrimonium spirituale (seu professionem) supplere non potest: at quoad translationem dominiorum rerum temporalium respublica habet jus altum; & sic in his intuitu boni communis, etiam sine voluntate domini, disponere potest.

281. Ex hoc vides, quod possit alicui etiam sine suo facto, consensu, & culpa, auferri dominium rei suæ, bono communi id exigente. Tunc enim hæc privatio non est pœnalis, sed legalis tantum. Hæc autem non supponit culpam. Unde negandum est, segnitiem dominorum in cura rerum suarum esse unicam causam, ob quam præscriptio procedat. pat. ex n. 276. Imò etiam in c. vigilanti. de præscript. ea non est unica; sed etiam ut vitetur confusio dominiorum.

282. Nec ex eo, quod præscriptio habeat vim transferendi dominia, sequitur, quod hoc ipso id habeat jure naturæ. Si enim ex eo, quod sit justa, eo ipso foret juris naturalis, omnes leges eo ipso, quod justæ sint, & profint bono communi, forent de jure naturæ, quod est falsum. Non enim, quæ profunt bono communi, eo ipso omnia lege naturæ statuta sunt. Solum ergo sequitur, esse rationi consonum, ut sub legis obligatione ponantur. Cæterum, quando Novellâ. 9. præscriptio per Imperato-

torem dicitur *impium præsidium*, loquitur de temporib. quibus currebat cum mala fide. Hau-nold. tr. 5. de just. n. 166.

ARTICULUS II.

Dominium rerum immobilium etiam directum præscribi potest.

Aliqua sunt, quorum dominium acquiriri non potest solum ordinarii temporis præscriptione; alia, quæ nullâ. In horum numero est. 1. libertas hominis. §. sed aliquando, Instit. de *Vusucap.* 2. ea, quæ Principi competunt in recognitionem supremæ potestatis. L. competit. C. de *præscript.* 30. ann. 3. Republicæ. I. 9. ff. de *Vusucap.* 4. Limites Regnum, provinciarum, dicecessum, parochiarum, si sint manifesti. c. *inter memoratos.* 16. q. 3. c. *super eo.* De *Parochiis*, & plura alia, ut est obedientia à subditis debita Prælatis. c. *cum non liceat.* *De præscriptione.* Sed hoc intellige 1. de obedientia exclusivè ad Prælatum, non autem translativè; 2. de obedientia, non jurisdictione, ut pluribus patebit infra. Quare bona, quæ præscribi non possunt solum ordinario tempore, non sunt simpliciter impræscribilia. His positis in quæstione proposita, Bartolus, Baldus, Panormit. Felinus, & alii apud Castro-palaum *de iust. in genere.* D. unica, p. 22. §. 2. n. 5.

n. 5. censem, rerum immobilium dominium
utile præscribi posse, sed non directum. Sed
contrarium tenendum est cum Fachinæo c.
70. Lessio. l. 2. c. 6. d. 17. n. 51. contra Feli-
num in rubr. *de præscript.* Ratio est, quia leges,
& canones in hac materia indefinite loquun-
tur; & ratio legis pro utroque casu, immò ma-
gis pro immobilib. militat. Nam non adepto
dominio directo non saporentur, sed augeren-
tur lites inter dominum directum & utilem.
Nec verum esset, quod dicitur L. omnes C. *de*
præscript. eum, qui præscripsit, esse plenissime
securitate munitus; ergo.

284. Dices, per n. 274. præscriptio est ex-
ceptio; ergo supponit jus in actore, cum sup-
ponat actionem, quæ eliditur exceptione. *Ex-*
quod exceptio peremptoria supponat actio-
nem, & jus in actore tantum apparens. Quan-
do autem huic conceditur actio utilis, cum
hæc non detur ex jure directo, sed tantum ex
æquitate, nec inde in actore probatur ius. Re-
gula autem *I I. de reg. juris. ff. id, quod nostrum*
est, non potest sine facto nostro in alium transferri, fal-
lit in iis, quæ fiunt dispositione legis.

ARTICULUS III.

Ad legitimam præscriptionem
requiritur bona fides, justa juri-
dicè.

285. **N**ot. præscriptionem vel tendere, ad acquirendum suo subjecto dominiū; vel ad illud eliberandum ab aliquo onere, & obligatione, vel servitute. Hoc secundum minus hic curatur, nec aliam bonam fidem requirit, quam conscientiam, qua quis novit, se nihil egisse contra obligationem suam, quam alteri obstrictus erat. Sermo est de bona fide *ad acquirendum* requisitā. Hæc aliud non est, quam sincera, & illæsa conscientia, quæ possessorem excusat de ignorantia rei alienæ. Hinc in mala fide est, qui sciens & volens alienum possidet; in bona, qui nescit esse alienum, quod possidet.

286. Dupliciter fieri potest, ut quis nesciat, alienum esse, quod possidet 1. cum errore, in conscientia culpabili, vel sine 2. cum errore juris clari, vel sine. In primo casu dicitur adesse bona fides, sed *injusta*, vel *justa* *Theologis* ē; in secundo *injusta*, vel *justa* *juridice*. *Injusta* scilicet cum tali errore; *justa*, sine illo.

287. Porrò quid sit *error injustus*, *justus*, & *justissimus* ex dicto const. N 241. Est autem *error* alias facti, cùm putamus non adesse illam circumstantiam, sub qua scimus actum prohibutum esse, cùm tamē adsit. (sic scio non licere pupillo? sine tutoris autoritate contrahere; si tamen puto eum, cum quo contraho, non esse pupillum, cùm in re sit, est error facti) alias *error juris*, cùm nescio, quid in jure circa taletum actionem.

actionem debitè faciendam, scriptum sit. Quare bona fides ex ignorantia juris, dicitur voluntas inculpabilis, habendi rem ut suam, eo quod falsò existimet, licitum esse per leges, rem cum talibus circumstantiis acquirere; bona fides ex ignorantia facti, est voluntas inculpabilis habendi rem, ut suam, eò quod falsò putet, adesse circumstantias, quas novit necessarias, ut rem comparet licitè. Per *jus clarum* intellige, cùm certum est, actum sub tali circumstantia legibus prohibitum esse; quando autem dubium est, vel controversum, *jus obscurum* dicitur.

288. Ratio nostri asserti est. Nam præscriptio vim suam habet à legibus; ergo non valet, nisi habeat, quæ ad ipsam lege requiruntur; sed à lege requiritur, ut non procedat ex ignorantia juris clari, saltē, quando requiritur titulus; ergo. Min, pat. L. nunquam. ff. de usucaptionib. ibi: *nunquam in usucaptionib. juris error prodeſſe ſolet.* Item L. juris. ff. de jnr. & fact. ignor. *juris ignorantia in usucaptionib. negatur predeſſo:* facti verò ignorantiam prodeſſe conſtat.

Dices 1. non haberi textum, idem affirman-
tem, de præscript. Nam hoc procedit ſolūm
de usucaptionib. p. N. ans. quia L. 7. ff. cod.
habetur. *juris ignorantia non prodeſſt acquirere vo-*
leniibus; ſuum verò, potentibus non nocet. Et L. 9.
ff. cod. *Regula eſt, juris quidem ignorantiam cui-*
que nocere, ſcilicet volenti acquirere, ut fit pre-
ſcriptione.

289. Dices 2. has leges procedere solum ex præsumptione malæ fidei, ergo non habent locum in foro conscientiæ; hic enim spectatur veritas. R. N. ans. nam. L. 2. §. 15. ff. proemptore, habetur: si scias pupillum esse; putas tamen, pupillis licere (vendere v. g. vel alienare sine tutori) non capies usum, quia juris error nulli prodest. Ergo supponit lex judicium erroneum, quod liceat pupillo contrahere; ergo non supponit adesse scientiam circa idem; ergo nec malam fidem.

290. Dices 3. Error juris non vitiat bonam fidem; sed bona fides sine titulo cum possessione longissimi temporis transfert dominium; ergo saltem in isto casu non obest ignorantia juris clari. R. 1. hoc non esse contra conclusionem nostram. R. 2. probabilius videri, etiam obesse huic præscriptioni, non requirenti titulum. Error enim juris est non vitiet bonam fidem justam Theologicè, secùs civiliter & juridicè. Hinc minor vera est de bona fide, justa utroque modo. Ad rationem Haunoldi n. 507. R. N. ant. sed ideo, quia jura nolunt, favorem meri juris indulgere ignorantibus, jus clarum.

291. Ex dict. coll. errorem justum, & justissimum non nocere præscriptioni legitimæ, & componi cum bona fide civiliter justa. Pat. 1. si sit error facti. Hic enim non nocet ex L. juris cit.

cit. n. 288. pat. 2. si sit error juris obscuri. Nam jus dubium non est jus; ergo error in jure dubio, non est error juris reprobatus; deinde scientius esse dubium, licet sequi quamcunq; partem. Patet 3. si error juris concurrat cum errore facti. Tunc enim usucapio non impeditur. Nam si vir uxori donavit rem, quæ aliena est, & vir inde non est pauperior, usucapio possidenti procedit. Ut habetur L. si vir. ff. deñato.

ARTICULUS IV.

Ad præscriptionem legitimam requiritur bona fides, etiam justa Theologicè.

292. **P**AT. 1. ex regul: *Possessor. in 6. Possessor malæ fidei ullo tempore non prescribit. 2.* Ex c. fin. de præscript. ibi: *quoniam omne, quod non est ex fide (scilicet secundum conscientiam) peccatum est, synodali judicio definitum, ut nulla valeat absq; bona fide præscriptio, tam Canonica, quam civiles; cum generaliter omni constitutioni, & consuetudini derogandum sit, quæ absque mortali peccato. (indefinite loquitur) non potest observari.* Unde oportet, ut, qui præscribit, *in nullo tempore habeat rei alienæ conscientiam.* Ita Canon.

293. Hinc coll. 1. juri civili, quod admisit valere præscriptionem cum bona fide inchoata,

tam, esto non continuatam; item præscriptionem longissimi temporis, licet nec inchoatam bonâ fide, jure canonico derogatum esse. Nam ubi agitur de peccato, leges validè corrigitur à canonib. Ita còmmunis cum Andr. Geyl. l. 2. observ. 18. n. 7. Unde etiam negatur ~~mix~~
versaltier, quod possesso, immemorialis ~~ha~~
~~beat~~ vim tituli juris, & privilegii. Hoc enim pro-
cedit solùm, quando est ex bona fide, non au-
tem secùs. Nam lex præscriptionis non favet
iniquitati. Fachinæus l. 8. c. 26.

294 Coll. 2. etiam in præscriptione actio-
num & obligationum necessariam esse bonam
fidem justam Theologicè pat. ex cit. c. fin. ibi
nulla valeat absque bona fide præscriptio. Dices. Ibi
agi solùm de præscriptione rerum. pat. ibi: *ut in*
nullo tempore habeat alienæ rei conscientiam. Ita
Hostiens, in sum: R. rei vocabulum generale
esse, & significare etiam incorporalia. per n.
240. & prob. L. rei appell. ff. de V. S. L. nominis
ff. cod 2. quia regula, *possessor*, universaliter lo-
quitur. ~~¶~~ quia ratio decisionis, in qua funda-
tur c. finale, communis est etiam incorporali-
bus, ut & in his caveatur peccatum. Loqui-
mur autem hinc de illa bona fide, quam n. 285
requirimus ad subiectum ab obligatione libe-
randum.

295. Coll. 3. ad præscriptionem requiri præ-
dictam bonam fidem Theologicè justam, non
so-

solum in principio, sed per totum decursum temporis præscriptioni necessarii. Pat. ex c. fin. cit. ibi : *oportet, ut in nullo tempore &c.* Hinc, qui dubius; an rem licet retineat? non deposito dubio retineret, eo ipso cum peccato retineret, consequenter non haberet bonam fidem justam Theologicè.

ARTICULUS V.

Dubium in initio præscriptio-
nis, nocet bonæ fidei; non, super-
veniens.

296. **Q**ui rem aliquam bonâ fide posside-re cœpit, non perdit bonam fidem dubio superveniente, num res sua sit? si post debitam diligentiam vinci non possit dubium 1. quia sic melior est conditio possidentis. 2. quia tamdiu quis est possessio bonæ fidei, *quam-*
din se alienum possidere ignorat, sed taliter dubius, adhuc ignorat. Ergo Ma. est ex c. si virgo. 34. q. 1. relato superius n. 207. & ex c. fin. de præscript. ibi : *itaq; oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte agnoscat, rem alienam esse*; ergo sufficit, quod ignores, esse alienam. Et quamvis hoc dubium obstitisset, si in principio fuisset (ex L. bona fide ff. de acquir: rer. domin: & L. I. C. de usucap. transformanda.) Secùs tamen est,

si superveniat possessioni cœptæ bonâ fide, quia
hoc munimine in antecedenti tunc possessor
careret; sed intellige, si dubio superveniente non
credas ex errore, te obligatum esse, rem possessam
dimittere. Nam secùs, præscriptio interrumpe-
retur, quia sic retineres *cum peccato*. sic Castro-
palaus cit. p. 22. §. 7. n. 3.

ARTICULVS VI.

Bona fides auctoris prodest suc-
cessori, tam universali, quam singu-
lari.

297. **H**inc potest uti accessione temporis,
quo rem possedit *author*, quo intel-
ligitur antecessor, seu is, qui rem antè posse-
dit, & in te transtulit. Si rem ab eo habeas,
tanquam illius hæres, eris *successor universalis*;
si verò alio titulo, v. g. empto, donatione, le-
gato, *singularis*. Successor universalis cum au-
ctore una eademque persona civiliter reputa-
tur; non autem singularis. Pirhing. de præ-
script. n. 66.

298. Ratio asserti est, quia author totum jus
suum cum re transfert in successorem; sed pos-
siderendo rem per partem temporis requisiti ad
præscribendum, acquisivit jus, ut possidendo
adhuc per tempus reliquum, quod deerat ad
præscriptionis legitimæ complementum, rem
præ-

præsiberet; ergo hoc ipsum jus transfert in successorem.

ARTICVLVS VII.

**Mala fides auctoris nec prodest,
nec nocet successori singulari.**

299. **P**At. ex L. an *vitium ff. de diversis rem-*
poralib. præscript: ibi : vitium auctoris
nec obesse, nec prodesse emptori, vel legatario, &c.
Pat. 2. quia mala fides est vitium personale; ergo non egreditur personam auctoris. Dixi *vitium personale*, quale foret, si auctor habens rem in pignore, inscio domino directo vendret. Secūs est, si res haberet *vitium reale*, ut si esset furtiva. Tunc enim ex alio c. præscribi non posset à successore singulari tempore ordinatio juxta dicta.

300. Quare, cùm quis rem immobilem cum vitio personali alienat (v. g. pignus, ignorante domino) successor singularis ejus dominium non præscribit ordinario tempore, sed tantum extraordinario, iure novo auth: *mala fidei*. C *de præscript. long. temp.* Et in hoc casu nocet successor etiam singulari mala fides auctoris. *Nocere* dicitur successori, non tantum, quando accessione temporis prioris possessoris uti non potest; sed etiam quando ipse cum bona fide, quam habet, vel inchoare nequit præscriptio-

nem, vel saltem impeditur, quod minus praescribat ordinario tempore: prodesse dicuntur, quando potest uti accessione temporis, quo res ab antecessore possessa fuit.

ARTICULUS VIII.

Mala fides auctoris nocet immediato successori, vel hæredi universalis.

301. **P**At. ex L. 11. ff. de divers. temp. præscrip.
ibi: cum heres in ius omne defuncti succedat, ignoratione suâ defuncti vitia non excludit. Et L. ult. C. communia de usucap. ubi rubrica Baldi habet, vitium defuncti nocet ejus successoris universalis, etiam bonam fidem habentis. Et ratio est. Quia defunctus, & heres ejus immediatus sunt fictione juris, & civiliter una eademque persona. Ergo possessio hæredis æquè infecta est, ac possessio auctoris defuncti. Not. tamen, malam fidem præsumptam, ex eo, quod quis propriâ authoritate rem vacantem occupaverit, purgari possessione 30. annorum. Covar. in reg. possessor. 2. p. §. 8. n. 8. ex L. ult. C. Unde vi.

ARTICULUS IX.

Mala fides auctoris non nocet hæredi mediato, scilicet hæredis hæredi.

302. Sie

302. **S**IC HAUNOLD. n. 208. Nam duplex fictio
in me non admittitur ex eod. capite.
Hoc autem deberet hic fieri. Nam ex ead.
mala fide primi defuncti testatoris, fictio 1. fie.
ret in hærede immediato. 2. in mediato. Nec
ex eo etiam, quod hæres mediatus onera hæ.
redis immediati, si hic non satisfecit, solvere
debeat. Nam hoc stat cum præscriptione do.
minii, sine fictione respectu primi defuncti, eo
quod hic solum censeatur moraliter eadem
persona, cum hærede immediato, non autem
primo defuncto; & onus ejus solutionis est
reale, non verò personale, sicut est mala fides.

303. Sed, nota, quæ diximus, n. 301. limi.
tari 1. ut non procedant in eo, qui alteri succe.
dit in officio vel beneficio; quia non succedit
ut hæres; sed jure collationis. Pirhing. cit. n. 17.
Limita 2. si hæres rem ab antecessore possessam
malâ fide, possideret alio titulo, quam hæredi.
tatis v. g. empti, &c. L. 5. §. 1. ff. *de divers.
temp. præscript.* Sic enim quoad hoc non est ead.
persona cum illo.

304. Ampliatur autem 1. ut etiam locum
habeat in præscriptione longissimi temporis.
Nam & hæc per n. 300 requirit bonam fidem,
quâ caret hæres immediatus, utpote civiliter
idem, cum defuncto; & possessio hæredis, su.
mitur quoad suum initium à possessione defun.
cti, quo ponitur laborasse vitio malæ fidei. Am.
plia-

pliatur: 2. etiam ad casum, quo monasterium, vel integra communitas, successor universalis scribitur. Ratio est ead. Nam & hæc repræsentat personam defuncti.

305. Demum nota, quod mala fides respectu unius rei non impedit præscriptionem alterius rei bonâ fide possessæ. L. si quis fundum. ff. de acquir. poss. Quia sic quoad secundum habetur verè bona fides. Secùs est, de mala fide respectu personæ. Nam hæc respectu unius impedit præscriptionem contra alteram. v. g. possides fundum malâ fide, quia scis alienum, sed putas esse Titii, cùm sit Caij. Quia sic rem possides cum peccato. Ergo. Palaus. p. 22. §. 10. n. 2. Pirhing. cit. n. 75.

ARTICULUS X.

Ad legitimam præscriptionem ordinariè requiritur justus titulus.

306. **S**eu, quod idem est, causa habilis ad transferendum dominium. Nam, ut dicitur L. *nullo. C. de rei vindicat.* absque tali titulo non potest dominium præscriptione acquiri. Hinc depositarius dominium depositi non præscribit. Idem dic de similibus habentibus solum ius imperfectum.

307. Notandum autem titulum alium esse colora-

coloratum (quo intelligitur titulus , qui revera intervenit, sed nulliter, ex aliqua causa latente) hinc dicitur etiam titulus solum *apparens* (v. g. Titius donavit tibi equum , qui habebatur pro domino equi, licet in re non sit) hæc donatio dicitur *titulus verus* (nam donatio in re facta est) sed *invalidus*, defectu potestatis in donante. Hinc donatarius equum possidet pro donato. Quando autem talis titulus nec validus, nec *invalidus* intervenit, & tamen possessio ex errore justo intervenisse existimat , vocatur titulus *existimatus*, & dicor rem possidere pro meo. Quando autem ob diuturnitatem temporis, quo quis rem possedit, ab ipso jure præsumitur intervenisse titulus , hic dicitur *præsumptus*, quo casu diuturnitas temporis supplet defectum tituli veri, vel existimati, sed juxta limitationem in n. 293.

ARTICULUS XI.

Ad præscriptionem temporis ordinarii requiritur titulus , vel coloratus, vel existimatus ; ad præscriptionem autem longissimi temporis sufficit præsumptus.

308. **P**rimum pat. ex cit. L. nullo. ibi: *nullo justo titulo precedente possidentes ratio iuris dominium querere prohibet*. Ergo ius exigit titu-

tulum? Ergo eum non præsumit. Ratio secundi sumitur ex L. 4. C. de *præscript.* 30. l. 40. annor. Hic enim titulum supplet antiquitas temporis rei possessæ. Hinc, cùm L. ult. C. unde vi. negatur, bonam fidem præsumi posse, causus ibi est de illo, qui scivit rem alienam. Cæterum bona fides non nititur unicè iusto titulo; sed sufficit inculpabilis ignorantia alieni. Ideo, ut quis exhibeat bonam fidem, necesse est, ut vel titulum, vel diuturnitatem temporis alleget, quo rem possedit. Palaus. p. 22. §. 5. n. 8.

309. Et ideo in præscriptione ordinarii temporis, fundamentum præscriptionis est titulus; in extraord. autem antiquitas continuatæ possessionis. Hinc in judicio neutrum præsumitur. Fundamentum enim causæ probandum est. Quarè, qui sufficienter probat antiquitatem continuatæ possessionis cum bona fide, sufficienter probat titulum præscriptioni necessarium, quæ doctrina utroque jure communis est; & constab. ex n. 312. Excipe tamen, ut non valeat illa antiquitas, si aliunde constet de vitioso possessionis initio. Tunc enim præsumptio cedit veritati. Exemplo sit, si tanti temporis possessor haberet contra se aliam juris præsumptionem; vel jus commune resistere possessori, & assisteret actori V. Schneidew. cit. Pirhing. cit. n. 48. c. si diligent, de *præscrip.* tionib. &c. Episcopum eod. in 6.

ARTICULUS XII.

Ad omnem præscriptionem sufficit titulus coloratus.

110. **I**ta Schneidew. l. 2. Instit. tit. 2. n. 37.

Nam hic inter titulos præscribendi potissimum est. Imò etiam titulus putativus seu existimatus ex errore justo, excepto titulo emptionis, ut notat Haunold. n. 228. pat. ex L. 48. ff. de *Usucap.* ibi si existimans, debere tibi, tradam, ita demum usucatio sequetur, si & tu pures debitum esse. Aliud, si putem me ex causa venditi teneri, & ideo tradam. Hic enim, nisi aetio præcedat pro emptore, usucatio locum non habet. Ubi vides solūm titulum emptionis putativum tanquam insufficientem excipi; ergo in aliis sufficit titulus existimatus.

311. Notandum præterea in præscriben-
dis servitutibus realibus, & continuis, solam
scientiam, & patientiam domini pro titulo ha-
beri, & sufficere. Haunold. cit. n. 225. ex L.
10. ff. si servitus vendicitur. Ex praxi autem in
discontinuis requiritur titulus.

312. Notandum 2. Quæ tempore ordina-
rio non præscribuntur defectu tituli, sine isto
præscribi tempore extraordinario. Nam præ-
scriptio temporis extraord. vel longissimi nul-
lo jure aliud exigit, quam bonam fidem, & tan-

ti temporis continuatam possessionem. Tunc enim possessio saluberrima legis plenissima munitione securus est. Ut dicitur L. 4. C. de præscript. c. ad aures. cod.

ARTICVLVS XIII.

Sine possessione nulla præscri- ptio procedit.

313. **H**abetur reg. 3. in 6. & L. 25. ff. de u-
sucap. sufficit autem, quasi possessio
ad præscriptionem incorporalium, in eo sita,
quod non interpellatur, dum non solvis, nec
inquieteris a creditore, vel auctore. Sic enim
diceris in possessione quieta & pacifica juris
non solvendi. Lugo. de Just. d. 7. l. 2 n.
14. Non sufficit autem possessio naturalis tan-
tum; quia alijs extra contractum posset domi-
nium esse penes præscribentem, & eum, contra
quem præscribitur; deinde depositarius natura-
liter possidet, & tamen non præscribit.

Sufficit tamen possessio civilis; nam alijs vix
ullus præscriberet. Vix enim ullus per tantum
tempus continuat possessionem naturalem. 2.
absens retinet solam possessionem civilem, &
tamen præscribit. per L. servi. §. ult. ff. de furiis.
L. 1. §. per servum, qui in fuga. ff. de acquir. poss.
Sufficit quoq; possessio vera, vel ficta; multò
magis autem mixta ex naturali & civili. Ratio
primi

primi est, quia qui sicut possidet fictione juris, verè possidet ad effectum juris, qui est præscriptio: ratio secundi est, quia illa est possessio perfectissima.

314. Coll. 1. rem civiliter possessam ab alio, non posse præscribi. Sic enim ab hoc non potest nisi naturaliter possideri ex n. 192. sed hoc non sufficit ex n. 313. ergo. Hinc nemo possidens rem pro altero, vel jure solùm utili, præscribit ius directum v. g. pignoris, hypothecæ. Secùs est, de dominio utili, hoc enim possidet civiliter.

Coll. 2. incapaces possidendi, esse incapaces præscriptionis; hæc enim ex n. 313. possessionem præsupponit. Hinc Laicus nullum ius spirituale præscribit.

Coll. 3. Possessionem debere esse continuam, & non interruptam per totum tempus legi definitum. Rumpitur autem dupliciter, 1. naturaliter, cùm post eam recte inchoatam aliquid ex substantialibus deficit, v. g. bona fides, titulus, possessio. 2. civiliter, quando quidem nihil eorum deficit, sed juris autoritate, putarentiâ; & quandoque litis contestatione, vel etiam sola citatione; sed intellige juxta num. seq.

315. Præscriptio, currit, incipit, & procedit, quando requisita præscriptioni adsunt, nempe bona fides, possessio, & titulus, si hic requiritur.

Dormit autem, quoties cursus ejus per interveniens impedimentum ita sistitur, ut tempus clapsum non quidem in nihilum recidat, sed cessante causâ intermediæ quietis cum tempore subsequenti conjungatur, ac cum eodem computetur, solo tempore intermedio non computato. Si talis causa, cuius interventu præscriptio domire dicitur, & nō progredi, in principio præscriptionis adsit, à fortiori facit, ne primò incipiat. Ex quo colliges, illâ dormitione præscriptionem non fieri discontinuam. Sic dormit tempore vacantis Ecclesiæ, vel tempore Schismatis. c. 4. *de præscript.* vel grassantis pestis, & sœvientis belli. c. 10. *cod.* & c. *prima actione.* 16. q. 3.

Interrumpi dicitur, cùm apponitur impedimentum, ne ulterius procedat, sed omnino cesseret. Hoc impedimentū *vel est naturale*, quod fit, quoties aliquid ex requisitis deficit; puta, si deficiat possessio, vel bona fides &c. *vel est civile*, quod fit, cum præscriptio per aëtum juridicum interpellatur, puta citatione, litis contestatione &c. per illud, præscriptio interrumpitur *naturaliter*; per istud, *civiliter*. Not. tamen i. præscriptionem triennalem non rumpi civiliter citatione, vel litis contestatione, cùm sit omnino favorabilis, & inducta præcisè in favorem possidentium. Panorm. c. *illud n. 11. de prescript.* Less. I. 2. c. 6. d. 16. n. 49. Præscriptio

ptio autem decenn: vel vicennaria cum titulo, aut tricennaria, vel longioris temporis sine titulo, civiliter rumpitur, non *citatione* solâ, sed *titu contestatione*, idque solùm, *ex suppositione*, quòd *auctor vincat*. Nam si succumbat, præscriptio interrupta non censetur, cùm interrupta solùm sit, sub illa conditione, ut ex communis sentent, tradunt Panorm. Molin. d. 78. circa med. Less. l. c. Not, tamen inter *naturalem*, & *civilem* interruptionem esse discriminem; nam præscriptio *solum naturaliter* interrupta, cessante impedimento incipere denuò potest, & perfici perinde, ac si interruptio facta non esset; si verò *civiliter* interrupta sit, exigit tempus quadragenarium à puncto interruptionis, ut collig. ex L. uis: C. de præscript. 30. annor: Possessio autem *continuata* sufficienter probatur, probando, *te antiquitus possedisse*, & *nunc possidere*. Abbas in c. cùm Ecclesia. de causa possess: nam ex hoc præsumitur ejus continuatio.

ARTICULUS XIV.

De tempore præscriptioni rerum mobilium requisito.

316. **R**Es mobiles privatorum, etiam pretiosas, triennio præscribi habentur §. 1. Inst. de usucap. ibi: firmo jure possideat, quasi (vel tanquam) per usucapi-

nem acquisitum; quod verum est, licet res habeatur titulo lucrativo, per L. unic. C. de usu cap. transformand. ibi: licet ex titulo lucrativo accepta sit. Et conclusionem extende ad mobilia Ecclesiarum Romanâ inferiorum. Auth. quatuor actiones. C. de SS. Eccles. receptâ in c. placuit.

16. q. 3. Esto idem probabiliter sentiat Layman, & Lugo de mobilib. Eccles. Romana: sed in Canonib. indefinite dicitur, hanc contra illam non habere locum, nisi possessione centum annorum. c. cum vobis. de præscript. Sine titulo autem prædicta præscribuntur tempore longissimo, scilicet 30. annorum. Res tamen furtivæ etiam mobiles non triennio, sed 30. annis præscribuntur propter vitium reale, §. furtivæ. Instit. de Usucaptionib. Unde in hoc limitari debet conclusio.

317. Nota: autem per res mobiles hic intelligi res corporales, quæ loco moveri possunt; item jura, & actiones ratione illarum competentes: si secus, dicuntur immobiles, ut dominus, fundi &c. jura, atque actiones, sicut & census annui, ususfructus, beneficia.

Nota secundò per presentes olim eos intellegos esse, qui domicilia habebant sub eod. Præside Provinciæ: qui sub diversis, absentes. Hodie intelliguntur, qui sunt in eod. vel diversis territoriis eundem, vel diversum Judicem habentes.

Nota 3. tempus ordinarium in præscriptio-
ne longi temporis inter præsentes esse 10. inter
absentes 20. annos; longissimum & extraor-
dinariū, esse 30. vel 40. Aliquibus tamen
præscriptionib. tempus ordinarium, sunt 100.
anni; aliis 40. &c. Præscriptio temporis imme-
morialis est de cuius initio non est memoria.
Aliæ verò requirunt tempus, etiam minus de-
cennio.

ARTICULUS XV.

De tempore, quo res immobi-
les privatorum præscribuntur.

318. **R**Es immobiles privatorum cum titulo
præscribuntur 10. annis inter præ-
sentes; 20. inter absentes: sine titulo, non ni-
si 30. annis. Primum habetur §. 1. Inst. de usucap. L. unic. C. de usucap. transfor. Secundum
L. 8. §. quod si quis junct gl. V. renuerit. C. de
præscript. 30. vel 40. ann. si autē is, contra quem
præscribi debet, fuit partim præsens, partim
absens, tot anni supra decem necessarios ad
præscrib. contra præsentem, adjiciendi sunt
præscriptioni necessariis annis, quot annis ab-
sens fuit Auth. si quis. C. de præscript. longi tem-
poris. Limita conclusionem in immobilibus mi-
norum. Hæc enim etiam cum titulo non præ-
scribuntur nisi 30. annis. L. fin. C. in quibus can-
sis.

sis. Limita 2. ex n. 320. Advertendum autem, quando præscriptio temporis ordinarii non habet locum ob defectum tituli, vel rei vitium, succedere & sufficere præscript. longissimi temporis L. 3. C. de præscript. 30. vel 40. annor: & c. 3. de præscript.

§. XVI.

De tempore quo immobilia Ecclesiarum Romanâ inferiorum, & locorum piorum, præscribuntur.

319. *F*A præscribi 40. annis habetur c. *quaer-
ia, de præscript. & Novell. 3. c. 1.* intel-
lige secluso privilegio. Nam contra Monasteria S. Benedicti, non nisi 60. annis; & Mona-
steria Cisterc. in German. non nisi 100. præ-
scribitur ex privilegio. Et hoc postremum Leo
X. & Pius IV. extendit ad omnes ordines men-
dicantes. Haunoldo teste n. 300.

320. Beneficia Ecclesiastica contra quem-
cunque impetorem præscribuntur triennio,
secluso ingressu violento, ac Simoniaco; ac in-
trusione reservata Papæ reservatione conten-
ta in corpore juris. Nec obstat ea reputari in-
ter immobilia. Nam de his extat specialis dis-
positio Cancellariæ apostolicæ regulâ 33. Et
hoc procedere etiam in conscientia, docet Pir-
hing. cit. n. 115. sed intellige, de præscriptio-
ne

ne contra impeditorem privatum, non Ecclesiam.

321. Jus Patronatus à Laico non præscribitur, nisi tempore immemoriali, adversus Ecclesiam, quam constat ab initio, vel olim fuisse liberam, intellige autem sine *titulo*. Tunc enim illi resistit præsumptio juris; si vero dubium sit, an fuerit libera, præscribitur à Parochianis 40. annis ex n. 319. Ubi nota, quando certis personis, vel locis per privilegium conceditur tempus, quod alias est longissimum, respectu corum censeri ordinarium; & ideo in præscriptione illorum requiritur titulus; &, sine hoc, petit tempus immemoriale.

ARTICULUS XVII.

Omnes servitudes cum titulo præscribi possunt longo tempore, esto non habeant certam & continuam possessionem.

322. Constat ex L. C. de *grascript. longi temporis*, quod verum est, esto non adscientia, & patientia domini. Quæ autem habent possessionem continuam, præscribuntur, secundum dicta n. 318. in fine; quæ vero discontinuae sunt sine *titulo*, non nisi tempore immemoriali. V. Haunoldum hoc fusè probantem n. 312. Hinc coll. usum & usumfrui.

Etum, cùm sint servitutes mixtæ, cum titulo præscribi longo tempore; sine, longissimo. Servitutes autem rusticæ, & ususfructus amittuntur solo non usu, nec requiritur bona fides, nisi exposita n. 285. ad onus eliberandum. Secùs in servitutibus urbanis, quæ requirunt factum præscribentis L. 6. ff de servuum: urb: prædiorum.

323. Pro reliquis nota 1. Bona vacantia, si fisco denunciata, & non occupata sint, contra fisum sæcularem præscribi, quatuor; contra Ecclesiasticum 40. aut 100. annis. L. 1. C. de quadrien. præscript. Si autem fisco debita sint ex delicto 5. annis præscribitur contra jus, & actionem illa exigendi L. 2. C. de vectigalib. & commiss.

324. Nota 2. actiones civiles, tam reales, quam personales, item obligationes & jura rerum tam mobilium, quam immobilium, regulariter præscribi. 30. annis contra creditores. L. 3. C. de præscript. 30 l. 40. ann. Excipe 1. actionem hypothecariam, quæ à debitore præscribitur 40. annis L. 7. C. eod. 2. nonnullas alias, quæ egent minori tempore de quibus Molin D. 71.

325. Nota 3. obligationes natas ex delicto, & ortas inde actiones criminales, ordinariè tolli præscript 20. annorum L. querelam. C. ad L. Corneliam. de falsis. Aliæ præscribuntur

tur etiam quinquennio, ut crimen peculatus, accusatio adulterii &c. Imò actio injuriarum tendens ad pœnam vel civilem, vel criminalem, anno tollitur L. 5. C. de injuriis. V. Julium Clarum. I. 5. sententiarum §. fin.

326. Tempus præscriptionis (ut notat Hau-nold. cit. n. 266.) computari debet non de momento, in momentum: sed de die in diem ex L. 15. ff. *de divers. temporal. præscript. L. 6. & 7. de Vſucap.* Ubi etiam resolvit leges contrarias; & ad completam præscript. sufficere, diem ultimum esse coeptum.

ARTICULUS XVIII.

Qui præscribere, & contra quos præscribi possit?

327. **C**ommunis regula est, quod quilibet sanæ mentis præscribere possit, ut colligitur ex L. sequitur §. pupillus ff. *de Vſucapiō-nib.* intellige, si aliunde capax sit eorum, quæ præscriptioni necessaria sunt. Quarè, qui sunt incapaces dominii, vel juris possidendi, præscribere non possunt. Hinc sequitur. I. liber-tate destitutum non posse incipere præscripti-onem, cùm careat animo acquirendi; secūs est, si, cùm esset sanæ mentis, præscriptio cœpta est, vel ab ipso, vel ab alio, cui successit; quia sic præsumitur in priori voluntate permanere.

argum. cit. L. sequitur §. furiosus. & L. justo. §.
cum, qui ff. eod. Sequitur 2. servum, quā talē
præscribere non posse, ut colligitur ex cit. L.
sequitur. §. servus. cūm enim sui dominio care-
at, æquum non est, ei dominium extēnorū
concedere.


328. Præscribi autem non potest contra
eos, qui nequeunt stare in judicio, tueri jura
sua, vel administrare. Addunt aliqui eos eti-
am, quibus suorum honorum alienatio inter-
dicta est, cūm præscriptio sit legalis alienatio. Sed
limita, ut intelligatur per se loquendo, eò quod
præsumatur mala fides in eo, qui rem accepit à
taliter prohibito alienare. Si autem in præscri-
bente fit bona fides, præscribi possunt tempore
non quidem ordinario, cūm mala fides præ-
sumpta purgari debeat, sed extraordinario, ut
dicitur L, ultimā. C. communia de legatis. No-
tandum autem, in casu, quo hæc bona alienari
prohibita haberet ab alio, qui ea tibi bonâ fide
concessisset; vel si tu præscriptionem incepis-
ses, ante factum, prohibitionem alienationis,
sufficere tempus ordinarium, quia sic mala fi-
des non præsumitur. Lessius. Lib. 2. c. d. 15.

329. Difficultas est, an Pralatus inferior Epi-
scope, præscribere possit jurisdictionem, seu ius E-
piscopale, non supponens necessariò potestatem
ordinis Episcopalis? Affirmativa est commu-
nis. I. cx c. accedentibus de excessibus Pralatorum.
ubi

ubi Abbatibus negantur quædam, quæ sunt ordinariæ jurisdictionis Episcopalis, nisi speciali concessione, vel alia legitima causa illis conseruant, intellige, privilegio, vel consuetudine legitimè præscriptâ. Hæc enim jurisdictionem tribuit, ut not. c. ult. de officio Archidiaconi; &c. auditis. de præscript. Nam hoc important ea verba vel alia legitima causa, ut exponit gloss. final. & Innocentius. Generaliter enim ea, quæ sunt dignitatis Episcopalis, sunt etiam inferioribus Prælatis non tantum concessibilia privilegio, sed etiam quæsibilia præscriptione, vel consuetudine, ut docet Butr. Abbas, & alii, quos citat, & sequitur Fagnanus. p. 2. lib. 5. decret. de Excessib. Prælat. c. accendentibus. à. n. 3. & p. 2. lib. I. decret. de officio. Ind. ordin. c. irrefragabili. §. excessus. n. 4. ubi docet, quod consuetudo legitimè præscripta, Capitulo, Abbatii, aut alteri inferiori Prælato conferre possit, jurisdictionem etiam ordinariam, & omnimodam quasi Episcopalem, (ergo, & jus instituendi, destituendi &c. præsertim Vicarios ad nutum amovibiles.) ex c. auditis, c. cum olim. de præscript. subjungens num. citato. ~~hac est veritas, quæ videtur hodie canonizata à Concil. Trid.~~ Ita Fagnanus, ultimò cit. cum Abb. in c. cum contingat.

330. Et ratio esse potest, quia res omnes, etiam incorporeas, nullâ lege usucapi prohibitæ, præscribi possunt ab his, qui ejusmodi ju-

juris, vel dominii capaces sunt. L. ult. C. de long. temp. prescript. Sed jura Episcopalia, quæ non supponunt necessariò potestatem ordinis, ad utramque legem, sive jurisdictionis, sive diœcesanam pertinentia, (consequenter, ius instituendi, destituendi, Inventandi, veletiam approbandi) non sunt aliquâ lege usucapi prohibita, ut constat. 1. ex num. 283. deinde ex decisione 416. Dom: de Rota, incip. fuit dubitatum alias, apud. Fagnan, loc. ult. cit. & Prælati Episcopo inferiores, sunt capaces eorum ju-
rium, cum hodieum penes multos sint, ut certum est, ergo.



QUÆSTIO. VII.

De Dominio Clericorum.

331. **M**Ulti dicunt quatuor esse genera bo-
norum, quæ habent Clerici; alii re-
ducunt ad tria. Hos sequor. Alia eorum bona
sunt patrimonialia, quæ scilicet habent titulo
communi cum Laicis, puta hereditate, donatione,
contractu, opificio &c. 2. quæ si patrimonialia, quæ
habent tanquam mercedem, & stipendium ex
ministerio Ecclesiastico, concionando, celebrando,
vel etiam ex assistentia in choro &c. Universim,
quæ habent titulo laboris Clericalis, ea etiam,
quæ

quæ ex beneficiis accipiunt, pro decente statum sustentatione honesta 3. sunt bona ex beneficiis, quæ habent. Hæc vocantur *reditus Ecclesiastici* v. g. titulo *Canonicarius, Decanatus &c.* Less l. 2. c. 4. n. 35.

§. I.

Clerici, non religiosi, habent verum dominium, bonorum patrimonialium, aut quasi talium.

33². **H**inc de illis disponere possunt more Laicorum; de istis, saltem inter vivos. Less. n. 36. Ratio primi. Quia nullo jure sunt incapaces: Ratio secundi. Quia sunt justa merces ex contractu oneroso. Unde Trid. less. 25. c. 1. prohibens, ne consanguineos ditare studeant, de his non loquitur. Difficultas est de redditib. congruae sustentationi superfluis ex bonis & proventib. Ecclesiasticis. 1. An horum etiam sint domini. 2. an, si hos expendant in usus profanos, peccant? 3. an contra justitiam? Multi, esto concedant primum, & secundum, probabiliter, negant tertium, probabilitate saltem extrinfeca, ex authoritate Doctorum.

§. II.

Clerici peccant, superflua de proventibus Ecclesiasticis expendendo in usus profanos, sive sint, sive non sint eorum domini.

333. **E**st communis ; & prob. 1. ex Trid.
Ecit. Ubi id prohibetur omnibus. 2.
ex c. quinta. 12. q. 1. Ubi expressè Gregorius
Papa, vult, omne, quod superest, in causis piis
& religiosis expendendum esse. 3. quia sub
hoc onere factæ sunt fundationes piæ, utpate-
bit n. 336. 4. quia Tridentinū cit. prohibitionē
suam fundat in eo, quia illi proventus *sunt res*
Dei, quarum administratio Clericis datur, sed
in divinum cultum, non in opera profana. V.

n. 344.

334. Not: autem 1. redditus Ecclesiasticos
olim fuisse quadrifariam divisos, sic, ut una pars
eederet Episcopo, altera Clerico, 3. fabricæ.
4. pauperibus. Habetur in decreto Gelasii Pa-
pæ, relato c. *vobis. c. concessio.* 12. q. 2. & decre-
to Simplicii, c. *de redditibus. ead. q. 2.* Item sta-
tuit Gregorius. c. *cognovimus.* Et c. *mos est.* ead.

325. Not. 2. cuique suam portionem sic af-
signatam fuisse, ut si alius eam sibi usurpavit,
eam *restituere* debuerit. Nam postquam Gau-
dentius Episcopus tres aliorum portiones sibi
sumpsisset, re delata ad Simplicium Papam, hic,
specialiter, inquit, *principimus*, ut *tres illas portiones*,
quas triennio sibi dicebatur tantummodo vendicasse,
restituat. Ubi Gl. V. triennio, ait, illum in eis
portionib. *furtum commisisse*, & ideo res illas
mobiles non uscepisse secundū dicta .n. 328.

336. Not. 3. quòd Justinianus Imperator,
quia

quia maximas fundationes pias fecit, & redditus Ecclesiasticos plurimum auxit, sancte caverit, ne hi in alia, quam opera pia referantur, ita, ut si secus factum fuerit, conscientias clericorum iis abutentium sub peccato gravatas, & ad restitutionem obligatas voluerit. Sciant autem Deo amabiles Oeconomi, & qui nunc, & pro tempore futuri sunt; quia, si quid prater hac (nimirum praedicta) egerint, & divinis suppliciis subjacebunt, & de substantia sua indemnitatem SS. prestabunt Ecclesia. Authent: ut determinatus sit numerus Clericorum.

337. Respondent aliqui, hic onerari solùm eos Clericos, qui Oeconomiæ tanquam administratores præerant tempore, quo Clerici voti paupertatis ligati vivebant in commune, ut nunc religiosi; non autem nunc, ubi ille modus vivendi desit. Sed immerito dicitur. Nam status Clericorum in commune viventium, & consequenter illi Oeconomi; non amplius erant, sed dudum antè desierant, quam hæc authentica conderetur. Status enim illorum desit Anno Christi 470. quando scilicet erecta sunt beneficia, ex quibus sua Clericis singulis portio proveniret; & authentica condita est uno, vel altero anno, postquam Justinianus Imperium adiit, Anno Christi 527. ut testatur Baronius in annalib. ad hunc annum; ergo responsio hæc nulla est.

338. Ex cit. auth. vides, sub hoc modo, & onere (ut proventus Ecclesiastici in divinos, non profanos usus impendantur) donationes Ecclesiis esse factas à Justiniano; & si non servent modum appositum, de substantia sua indemnitatē SS. præsent Ecclesiæ. Non enim minorem curam eorum, qui SS. præsunt Ecclesiis, quam ipsius met anima sua se habere testatus est præmissus Imperator. in fine cit. auth. Et quis credat, reliquos fideles aliâ mente, & modo, fecisse tot fundationes pias? V. §. fin. cit. auth. c. 5. his præmissis.

§. III.

Clerici in usus profanos erogando redditus de proventibus Ecclesiasticis congruae sustentationi tedundantes peccant contra justitiam.

339. **I**Ta Pirhing de peculio Clericorum n. 6.
INavarrus de reddit: Eccles: q. 2. monito.
7. qui ait, non fuisse ex antiquis, qui contrarium audire vellet. Tannerus to. 3. D. 4. q. 6.
n. 215. Lessius, qui (licet oppositum sequatur) tamen fatetur, hanc sententiam sacris canonib. conformiorem, & in praxi beneficiariis consu lendam. Prob: si Clerici peccant, erogando fructus illos superfluos erogando in usus profanos cum onere restitutionis, eo ipso peccant contra justitiam; sed ita est, quod peccent (ex
n. 333.

n. 333. & quidem cum onere restitutionis ex n. 336. ergo. Ma: videtur certa. Nam nulla virtus alia obligat ad restitutionem, quam justitia.

340. In minori communiter negant secundam partem ideo, quia textus allati, locis citatis, non amplius habent locum hoc tempore, ubi beneficia erecta sunt; quia volunt per hoc jus pauperum vel extinctum esse, vel in alia opera pia commutatum. Ita communis. Verum contra est 1. vel portionum illarum, quae erant olim divisæ juxta n. 334. permixtio facta est voluntate utriusque domini, vel sine voluntate alterius? si primum, permixtio non abstulit ulli jus rei permixtæ per n. 273. si secundum? alteri adhuc manet jus rei suæ quoad estimationem ab altero præstandam. per n. cit.

341. Contra est 2. & est probatio secunda. Quando certum est, aliquem habuisse jus aliquod, tamdiu in eo permittendus est, quamdiu non probatur de illo jure deiectus (nam in hoc melior est conditio possidentis) sed certum est, pauperibus olim fuisse debitum ex justitia portionem aliquam, ut ipsi fatentur, & constat ex dict. à n. 334. &c. Neque ullo jure probari potest, eosde jure suo fuisse legitimè dejectos; prima pars min. confirm. ex c. quod autem 23. q. 7. ibi: *Bona Ecclesiæ non sunt nostra, sed pauperum, quorum procurationem gerimus.* Et c. ex

c. ex eo de electione ibi : *Bona Ecclesiae sunt patrimonium D. N. IESV Christi.* 2. pars etiam constat, quia nullo textu juris id probatur.

342. Contra est 3. Quia immerito dicitur, jus pauperum extinctum esse commutatione in alia opera pia 1. quia hoc citra ullum juris fundamentum dicitur, & solùm divinatur. 2. quia, qui alteri negat jus, antea certum, teneatur ad probationem positivam; hoc ipsi non præstant; ergo. 3. vel commutata est obligatio prior, vel solùm debitor? Primum nullo jure ostenditur. Secundum autem facit, alia opera pia successisse in ius pauperum; ergo adhuc peccatur contra justitiam, non dando operibus pii.

343. Confirm. quia nulla per Ecclesiam facta est commutatio, quæ sustulisset *obligationem in conscientia*, non erogandi superflua in usus profanos; ergo etiam nulla, quæ sustulisset *obligationem justitiae*, quæ priùs fuit. Ant. est ex confessione advers: cùm ipsimet doceant, tunc à Clericis peccari, saltem contra aliam à justitia virtutem. Unde ergo habent, quòd obligatio justitiae extinta sit per ullam commutationem, si per nullam extinta est obligatio conscientiae, quæ priùs fuit. Vel ergo per beneficiorum erectionem inducta est novæ virtutis obligatio? & hoc, ne agant in præjudicium certi juris, quod antè fuit, tenentur probare; vel ser-

servata est prior? at hæc fuit justitiæ olim, ut fatentur; ergo. Deinde, quælo, hæc commutatio facta, à quo est facta? ubi? quando? in quæ opera? Certè nihil authenticè ostendunt.

344. Respondet Amicus. D. 14. n. 16. esse factam in erectione beneficiorum, ab Ecclesia, ad magnificentiam Ecclesiæ. sed quomodo? ergo pientissima mater Ecclesia jure suo certo privavit pauperes, & illud dedit Clericis, cum ea laxitate, ut immunes essent à peccato iniustitiæ, si eos proventus in omnem seculi luxum prodigant? an hoc ad splendorem Ecclesiæ? ad mentem fidelium, qui præcisè Dei cultum per fundationes pias intenderunt? In hoc S. Bern. serm. in illud: *ecce nos reliquimus omnia sanctè loquitur: Res pauperum non dare pauperibus par sacrilegii crimen esse cognoscitur. Sanè patrimonia pauperum, facultates Ecclesiærum; & sacrilegū illis crudelitate surripitur, quidquid sibi Ministri, & dispensatores, non utique domini, & possessores, ultra victum accipiunt, & vestitum ubi nota, ly non Domini, non possessores.* Certè Clemens, vicinus ipsi S. Petro, l. 2. t. 8. de const. apost. *jubet ea omnia e gentibus cum Iustitia distribui.* Et Symmachus Papa c. in canonib. 16. q. i. sub anathemate obligat eos, *ad restitutionem,* qui res Ecclesiæ suis quasi hæreditarias reliquerunt.

345. Respondent alii ex Trid. sess. 24. c. 12.

haberi , quòd beneficiarii , qui 3. mensib.
à sua Residentia abfuerunt, privandi sint fru-
ctibus, *quos præsentes fecissent suos*; ergo, fructus,
quos accipiunt ex præsentia sua , faciunt suos
absolutè, sed sub modo , & onere expendendi
in usus pios. Rq. cum dist. *faciunt suos* cum o-
nere justitiæ in pios usus. Trans. secùs N. conf.
quod patet ab instantia de bonis vinculatis , &
permixtis, vel confusis. n. 273.

346. Hinc coll: esto concederem , Clericos
fieri dominos, etiam superflorum ; adhuc non
inferri : ergo sunt domini sine onere justitiæ &
restitutionis. Hoc enim componi potest cum
dominio, ut constat ex majoratu , bonis con-
fusis &c, de quibus locis cit. 2. ius naturale di-
ctat, quòd contra justitiam peccet non dando,
qui rem aliquam accipit sub modo , & onere,
eam alteri tradendi sub iis terminis, quos ap-
ponit Justinianus in n. 336. & colligitur ex
Clem. *quia contingit de relig. domib.* At Clerici
ea bona habent à fundatorib. ex tali paeto o-
neroſo peccati, ut fatentur ipſi, & const. ex n.
536. quis enim neget, etiam Clericum obligari
posse à Laico, ex contractu? Deinde, si sunt do-
mini, & usus eorum fructuum in causas profa-
nas non est injustus , quia est usus dominii, jam
concedunt *dominium ad usum illicitum*. quia ille
usus etiam per advers: est peccaminosus.

347. Contra cſt 2. quia mala est conse-
queñ-

quentia. Clericus non facit fructus suos, si absit; ergo omnes facit suos, si praesens sit; sicut male sequitur: heres de bonis defuncti nihil facit suum non aditam hereditatem; ergo omnia facit sua eam aditam. Nam legata non facit sua, cum haec ab eo, qui legavit, ad eum, cui legavit, rectam viam transeant. L. Aulo Titio ff. de furiis. & fructus eorum ex eo tempore, quo ius contestata est, a legatario exigi posse, manifestum est (L. legatorum. C. de Usuris & fructibus legatorum) non autem ex die mortis. L. in legatis. C. eod.

348. Contra est 3. quia solum sequitur quod Clericus per suam presentiam eos fructus facit suos, quie ei ob presentiam destinantur. Sed unde probas, quod etiam fructus superflui, & congruae illius sustentationi redundantes ejus dominio subiificantur propter presentiam? Certe, nisi habeas aliud fundamentum, injuste agis, contra certum jus pauperum, his negando, illis concedendo jus justitiae.

349. Dices: eo ipso, quod quis alicujus rei habeat dominium, nequit ex justitia teneri, cum alteri tradere, cum onere, si non faciat, restituendi; ergo. Verum N. ant. ut pat. ex domino rei acquisito per confusionem, accessionem &c. n. 273 Idem dic de fidei commissis &c. Concedo tamen Clericis jus, superflua erogandi in pios usus. Hoc enim pretio estimabile est, & eo carent Franciscani,

350. Respondent aliqui, juribus, quæ allegamus, derogatum esse. 1. consuetudine in contrarium, quâ jam passim Clerici & Episcopi, de omnibus suis, in usus etiam profanos disponunt, sciente, & non reclamante Ecclesiâ. 2. præscriptione, cuius bonam fidem fundat tot authorum ipsis faventium probabilis opinio, cum decursu temporis tanti, sciente, & paciente Ecclesiâ.

351. Verum contra est; quia hæc consuetudo illicite introducta, nulla debet stabilitate subsistere c. *quod latenter de reg. iuris.* Neque ullis leg. vel juri derogatur ea consuetudine, quæ nequit sine peccato aliquo exerceri, contra quamcunque sit virtutem. c. fin. *de præscript. re-lato.* n. 292. at hæc consuetudo erogandi superflua in usus profanos, etiam peradversarios est talis; ergo. Deinde hæc consuetudo nondum est ita recepta, quin à præstantissimis viris etiamnum reprobetur, test. Tannero d. 4. n. 441. Denique nulla consuetudo valet contra ius Divinum, sed obligatio erogandi superfluos proventus Ecclesiasticos in causas pias est juris divini. teste Pirhing. de peculio Cleric. n. 13. & Cardin. de Lugo. D. 4. s. 2. n. 16. & prob. 1. Quia juris divini est, res Deierogare in cultum Dei. 2. quia sunt patrimonium pauperum, ut testatur Trid. sup. n. 333. Et citra fundamentum asseritur, hoc solum dici per me-

metaphoram, & impropriè, cùm constet hunc fuisse finem directum in oblationibus fidelium. Et in eo Trid. se, suamque prohibitionem fundare.

352. Ius autem erogandi in usus profanos superflua præscribi non potuit haçtenus. 1. quia non est materia præscribibilis, utpote materia juris divini ex n. priori. 2. cùm hæc præscriptio tendat ad Clericos eliberandos ab obligatione fructus superfluos erogandi in causas pias, deberet in illis esse; 1. bona fides exposita n. 205. scilicet carentia peccati contra suam obligationem. At hæc non adest, etiam per adversarios, cùm concedant, ab illis peccari. 3. deberet adesse titulus, saltem scientia & patientia Domini. At hæc etiam abest, cùm Ecclesia actu reclamet, & eos obliget, ne taliter agant, alias enim non peccarent; ergo. Nec juvantur probabili sententiâ negantium, peccari contra justitiam. 1. quia præscriptio indefinite requirit carentiam peccati ex vi actûs, quo intenditur præscriptio. Non enim excludit peccatum tantum injustitiae, sed omne, cùm quodlib. foveat periculum animæ, in quo fundatur decisio c. finalis de præscript. cit. 2. quia, licet ea probabilitas juvaret ad bonam fidem, ubi esset titulus? ubi possessio? quæ in hac materia est carentia interpellantis secundum dicta. n. 315. ergo.

353. *Silentium Ecclesiae* non est semper signum approbationis (sicut enim quandoque ad gravissima mala, propter causas graviores) sed tolerationis, ne eveniant graviora in re praesertim ægerrimæ, & non nisi plenæ periculo correctionis. Accedit, quod non ita facile constet, qui Clerici superflua habeant, cum pauci hoc fateantur. V. n. 363.

§. IV.

Stando in rigore juris, Clerici non sunt domini fructuum ex proventib. Ecclesiasticis redundantium congruae sustentationi.

354. Ta Navarrus cit. Nam dominium constituitur favore legis ad usum eorum liberum, vel pacto legitimo; hoc illi carent; ergo. Minor prob. nam ius illud prius non fuit apud illos, sed apud pauperes, & hi de suo jure hactenus dejecti non sunt per n. 342. Primo, non confusione bonorum in erectis beneficiis ex n. 340. Secundo nec commutazione in opera pia. Ex n. 343. Accedit, quod hoc nec evincant argumenta contraria, ergo standum est pro antiquis possessoribus, qui sunt pauperes, & obstant tot canones, & SS. Patres relati n. 344. & antiqui doctores, quorum nemus (teste Gandavensi quodlib. 8. q. 15.) fuit; qui

qui Prælatos Ecclesiæ ad prodigè expensa re-
stituenda non obligaret; ergo.

355. Dices 1. Nemo spoliari debet posses-
sione & dominio rerum, nisi constet esse alienas,
aut lege justitiæ alteri debitas; sed redditus
beneficiorum superfluos possident Clerici, ne-
que constat illos esse alienos, aut lege justitiæ
alteri debitos; ergo. Ma: est ex recepta in utro-
que jure regula. Tum quia nemo in dubio spo-
liandus est jure suo, quod possidet; tum quia
in pari causa melior est conditio possidentis.
Min. etiam pat. quia id nec ex mente Ecclesiæ,
nec fidelium convincitur.

356. R. 1. invertendo argumentum pro no-
bis, servatâ majori. Sed jus alicujus portionis,
olim certò erat penes pauperes, & non constat
eos unquam hoc jure spoliatos; ergo. R. 2.
trans. ma: N. mi: ex dict. n. 354. R. 3. Majo-
rem esse veram, si quis possideat nomine suo,
non pro altero. Superflua Clericis traduntur,
& ab illis possidentur pro pauperib. ex n. 344.
R. 4. dist: ma: nemo spoliari debet, possessio-
ne certâ C. dubiâ N. præsertim si possessio, quæ
nunc est dubia, non fuit penes eum ante dubi-
um exortum, sed apud alterum. Clericorum
autem possessio defacto non est certa, sed du-
bia; & ante hoc dubium possessio non fuit pe-
nes illos, sed penes pauperes. Nam dubium
hoc est exortum 1. post erecta beneficia; priùs

autem pauperes erant in certa possessione juris, imò ex mente antiquorum etiam post ; ergo horum conditio etiam defacto est melior, ut dixi supra.

357. Dices 2. non potest assignari, ex quibus Clericus debeat pauperibus ? an ex fundis, decimis ? &c. Deinde , non est credibile, quòd Ecclesia , quæ in omnibus aliis definiendis est tam exacta, rem tanti momenti non præcepisset, si Clericus taliter obligatus fuisset. Ex superfluis beneficij debitum illud exsolvendū esse. ad alterum dico , satis constare de mente Ecclesiæ ex cit. canonib. nec opus erat alio præcepto, cùm hoc constet ex natura bonorum in cultum divinum à fidelib. destinatorum cum tam claro pacto, & onere, sub quo illa dantur, ut const. ex auth. Justiniani.

358. Dices 3. reditus beneficiorum Clericis dantur in præmium aptitudinis, & laborum impensorum, quòd se fecerint habile instrumentum curæ animarum, & gubernandis Ecclesiis. At hoc præmium non sunt fructus, qui proveniunt illis propter ministerium exhibitum Ecclesiis (sunt enim merces ex contratu onerofo laboris) ergo præmium hoc sunt fructus superflui ; sed præmiū dominium acquirit præmiatus; ergo. Not. fructus ex labore in ministerio Ecclesiastico posse sumi ; formaliter, & sunt ip̄i proventus, 2. radicaliter, promu-

nere, officio, & dignitate, cui annexum est jus percipiendi tales fructus. Hæ enim non debebantur ex justitia Clerico ; sed dantur vel ob merita (sicut miles prœmiatur officio colonelli) vel ut se bene gerat.

359. R. trans. ma : de redditibus sumptis *radicaliter*, non *formaliter*; N. min: de redditibus ex ministerio , sumptis radicaliter, non formaliter. Nam officium, dignitas, & jus annexum, non est laboris & ministerii Ecclesiæ præstiti merces, sed datur ob realiter præstita merita, vel ob eorum spem, & finem. Deinde etiam universaliter falsum est, prœmiatum fieri Domini. num prœmii. Qui enim ob bene merita acquirit officium aulicum, non eoipso potest cilib. cedere.

360. Quòd autem dignitas officii, & huic annexum jus tum percipiendi fructus competentes suæ sustentationi juxta decentiam statūs, ad quem quis promotus est; tum etiam superflua pro libitu distribuendi in has, vel illas piás causas (v. g. ut licet faciat piás fundationes, etiam pro honore familiæ suos consanguineos iuvet, si verè indigeant juxta suum statūm ; vel etiam elevet, si ratione vilis statūs ipsi forent dedecori &c.) sit valde magnum prœmium, quis dubitet ? vel ex affluxu competen- tium.

361. Nota autem ex Cardin: de Lugo. de just,

just. D. 4. s. 4. per congruam sustentationem intelligi, omnia necessaria vieti, vestiti, etiam honestae commoditati, Clerico, & suis domesticis, juxta dignitatem, secundum consuetudinem talis Regionis, non vilia, & utcunque; sed honorata, modo non sic, ut ad secularem pompam accedat. Hinc non debet esse folidus, sed nec secularis &c. Verbo, secundum gradum sui sanguinis, & dignitatis Clericalis, liberalis in se, suos, & hospitalis.

362. Dices 4. S. Thom. 2. 2. q. 185. a. 2. ait: quod Clerici, si eorum bona distincta sint à bonis assignatis pauperibus, de his sibi usurpando aliquid, peccent, & ad restitutionem teneantur; *de his vero*, quæ specialiter ipsorum usui, videri eand. rationem, quæ de propriis bonis, ita, ut *quidem peccent* per eorum immoderatum usum. Ubi adversa sententia vult subintelligi hæ verba: *non tamen teneantur ad restitutionem*. Verum loc. cit. horum nihil habetur. Unde si alibi hoc dicit (habet autem artic. 7. non 2.) intelligendus est, de bonis, quæ usibus Clericorum quoad dominium, & proprietatem applicata sunt, ut sunt fructus beneficiorum ex ministerio ad decentem rerum sustentationem; non superfluis.

363. Instabis 1. si Clerici peccarent contra justitiam expendendo superflua profanè, deberent rescindi eorum contractus taliter facti;

at hoc non fit; ergo Mai: pat: quia sic essent invalidi. R: sicut non infertur bene: contractus illi non puniuntur; ergo non fiunt illicite: ita non bene inferri: non rescinduntur; ergo non fiunt invalidè: V: dicta ex Symacho Pontific.

n. 344.

364. Instabis 2. Ex c. *suscepti*, constat §. 1.
de elect. in extrav. Joannis 22. fructus beneficii, vacantis morte Clerici, applicatos esse defuncti hæredibus, vel aliis personis. R: id factum esse, vel in solutionem debitorum, quæ contraxit defunctus; vel in levandam horum paupertatem, quæ est causa pia; vel in compensam eorum, quæ defunctus de suis priùs expendit in opera pia. sic Abb. Navarr: Pirhing. cit. n. 44.

§. V.

De bonis acceptis ex beneficio propter ministerium, Clerici licite disponunt inter vivos; secùs per ultimam voluntatem.


365. **N**on est dubium, Clericos de bonis patrimonialib: more Laicorum, posse tam inter vivos, quam per ultimam voluntatem, licite disponere; ex n. 332. De superfluis autem (quæ sunt ex bonis acquisitis intuitu Ecclesiæ) licite disponunt donatione inter vivos, sed tantùm ad pias causas; quia quoad il-

illud, nullo jure prohibentur ; per ultimam tam
en voluntatem non possunt , etiam ad pias
causas, sed jure tantum humano, ut constat ex
c. 2. 17. q. 1. &c. 1. *de testam.* c. *ad hac.* cod.
his positis.

366. Prima pars asserti deducitur ex n.
332. quia ea bona sunt quasi patrimonialia ,
imò de his licetè inter vivos disponunt per do-
nationes moderatas jam constituit in articulo
mortis , præsertim remuneratorias. Pirhing.
de testam. n. 30. sed intellige; *ad causas pias.*
Cœterum per ultimam voluntatem, ne quidem
ad pias causas , de illis licetè disponunt ; sed o-
mnia ejusmodi bona post mortem Clerici, de-
bentur Ecclesiæ, sub qua est beneficium , cuius
intuitu ea acquisivit. Barbos. in c. 1. *de testam.*
n. 8. & habetur c. *cum in officiis.* eod. Sed , cùm
hoc sit tantum juris humani, ius testandi præ-
scribi potest, saltem ad pias causas , ut coll. ex
c. *relatum,* eod.

367. Si autem Clericus intestatus decebat ,
relictis bonis vacantibus, hoc est, quorum nul-
lus sit hæres titulo legitimæ successionis, suc-
cedit Ecclesia, cui servivit immediatè ante mor-
tem. c. 1. *de success. ab intest.* Ecclesia enim illi est
loco uxoris. L. unic. C. *Unde vir.* Hinc uxor ,
deficientibus viri hæredibus , ei ab intestatio
succedit. Si verò nulli servivit Ecclesiæ tem-
pore mortis, eius bona etiam patrimonialia, &
qua-

quasi, devolvuntur ad fiscum Ecclesiæ loci (si hæreditas vacet) in quo versatur, & Episcopus pro arbitrio distribuet ad pias causas. Tunc enim sunt bona vacantia. In aliis verò titulo beneficij acquisitis, succedit vel collegium Clericorum, vel successor in beneficio, de quib. Pirthing. *de successionib. ab intestat. n. 27. in c. relatum. de testam.*



QUÆSTIO VIII.

De Dominio Regularium.

368. **P**ER votum, *paupertatis solenniter professæ*, Regulares extra conjugium, incapaces reddi dominii pro suo individuo, habetur c. non dicatis. 12. q. 1. & c. *cum ad monasterium. de statu Monach.* Trid. sess. 25. c. 2. dixi, *extra conjugium*. Nam *religiōsi milites*, solam castitatem conjugalem professi, hoc ipso, quod tales sint, non possunt vovere illam perfectam paupertatem, utpote pugnantem cum statu conjugali; quia conjugis est providere liberis, & uxori præsertim Nobilibus, quales hi sunt; quod non possent perfecti pauperes. Ex quo vides *solemnitatem paupertatis professæ consistere cum dominio in professione*.

§. Cum

§. I.

Cum voto paupertatis religiosæ solenniter
professæ, consistere potest dominium rerum
temporalium in tota communitate,
jure communi.

369. **C**onstat ex c. si qua mulier. 19. q. 3. L.
Deo nobis. C. de Episcopis, & Clericis.
Auth. *Monachis. c. illud quoque. collat. 1. dixi*
jure communi. Nam quod ordo minorum S.
Francisci sit incapax, est juris privati. Similiter,
quod nulla domus, aut Collegium Soc. JESU,
intuitu Professi, aut etiam Coadjutoris For-
mati, possit ab intestato succedere, est ex jure pri-
vato Societatis. p. 6. Const. c. 2. n. 13. ac du-
plici. bulla Greg. XIII. incip. *quanto fructuosius;*
& ascende domino.

370. Huic asserto videtur obstare. c. si qua
mulier. 19. q. 3. ibi: *nunc autem, cum Monachus*
factus est, hoc ipso res suas obtulisse videtur, si prius
testatus non sit; & exinde, iudicio ejus cessante, lege
disponetur, qui textus desumptus est ex consti-
tutione 5. lib. Auth. de Monachis. collat: 1. &
per Gregorium Papam inibi approbatus, con-
sequenter habet vim canonis. Intelligitur au-
tem per iudicium cessans, ut volunt interpretes,
iuris validè disponendi. Item c. Monachi c. super quo-
dam. c. cum ad. & c. de statu monachorum, ibi: nee
per

peculia permittantur habere. Item ibi: proprium, quod latenter habuerat. Item: ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat. Causam ibid: dat Pontifex, quia abdicio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regula Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere. Ex quibus deduci videtur, incapacitatem proprietatis (prout jure Canonico sumitur proprietas,) provenire immediate ex voto solenni paupertatis & non ex jure solùm Ecclesiastico ; aliàs enim posset in eo dispensare Pontifex.

371. Sed notandum, proprietarium in jure Canonico dici non tantùm cum , qui est talis, per usum juris, aut dominium ; sed etiam , qui est talis, per solum usum facti, independentem à voluntate superioris. Hinc etiam iste usus in rigore Juris canonici est proprietas, religiosis interdicta, voto paupertatis ; ut pat. ex cit. supra. cap : & constat ex communi sensu Religionum, constatque ex c. cum ad monasterium, ubi expressè omne illud vocatur proprium, quod monachus habet contra regulam præcipientem: ut non habeat quidquam, nisi cum licentia superioris. Hinc c. super quodam. eod. damnatur Monachus, quòd habuerit proprium ; sed non habuit proprium per ius, aut dominium ; ergo per usum independentem. Damnatur enim quia inventus est rem clam habuisse, ergo etiam per solum usum facti.

facti independentem à licentia superioris, religiosus fit proprietarius.

372. Ex hoc facile solvitur objectio, quâ dicitur: quòd si Religiosis licitus esset nudus usus facti, qui non pendet, vel supponit ullum ius vel dominium, quilibet licite uti posset, quâlibet pecuniâ, & quibuslibet rebus, sine omni licentia Superioris, modò intendat illarum rerum nudum usum facti, relinquendo intactum illarum dominium, quia sic non ageret proprietarium. Nam N. seq. ad prob. dico neminem peccare contra votum paupertatis, qui non est proprietarius, proprietate ortâ vel ex usu juris, aut dominio, vel ex usu independente à voluntate superioris C. proprietate ortâ & solo usu juris aut dominii N. Talis autem de quo loquimur, esset proprietarius per usum independentem à voluntate Superioris, voto paupertatis interdictum. Defectus licentiae sine dubio non confert proprietatem sitam in usu independente; constituit illam tamen in esse usus independentis à voluntate Superioris.

373. Hinc coll. 1. Religiosum professum de jure communi reddi quidem penitus incapacem proprietatis sumptæ pro usu independente, ac etiam juri, seu dominio habendi *particulariter* bona temporalia; sed non *communiter*, & sic intelligendi sunt Canones in n. 370.

374. Coll. 2, Incapacitatem proprietatis sum-

sumptæ pro jure , seu dominio , non nasci es-
sentialiter ex ipsa natura paupertatis *solemniter*
professæ , ne quidem in particulari persona Mo-
nachi; ut constat ex n. 368. sed tantum *ex so-*
lemnitate prout subest juri Ecclesiastico. Nam cum
voto castitatis etiam solemniter professæ , stat
dominium viri in corpus uxoris (ut , si de
mutuo consensu , matrimonio consumma-
to , in religione approbata profiteantur) er-
go etiam cum voto paupertatis solemniter pro-
fessæ , ex natura rei stat dominium professi , in
bona temporalia . Hinc , quod defacto id non
habeat , *particulariter* , est ex solemnitate voti , *qua*
sola Ecclesia constitutione inventa est , ut notavi-
mus ex bulla Greg. XIII. in n. 154. Ex hac
constitutione Pontificia , ut verissimum sequi-
tur , teste doctissimo Thomâ Sanchez l. 5. in
decal: c. 1. n. 6. solemnne professionis votum ,
& simplex non differre per se , & essentialiter ,
ex utriusque voti natura ; sed solum acciden-
taliter , & extrinsecè , *ex sola Ecclesia constitutione* ,
ac proinde totam voti solemnitatem esse solius juris
Ecclesiastici.

375. Neque dicas cum Thomistis , decisio-
nem Bonifacii in c. *unico* , de Voto in 6. & Gre-
gorii in bulla : *ascendente* intelligi *de solemnitate*
accidentalı , quæ consistit in cæremonia , & mo-
do , nec non benedictione , ac consecratione ,
quibuscum sit traditio , & acceptatio emittentis

votum solemne Religionis; non autem *de solemnitate substantiali*, sicut in plena sui, & absolta traditione ipsius profitentis, & Superioris, nomine Dei, acceptatione. Nam alias contra S. Th. 2. 2. q. 88. a. 11. *Pontifex in voto solemnis Religionis posset dispensare*; nec per hoc dirimetur matrimonium *jure naturae*, adversus eundem Angel: Doctorem hic q. 53. supplementi a. 2. Ex quo Thomistae volunt, solemnitatem substantialem, consequenter vim irritandi matrimonium subsequens, in voto castitatis; & vim in personam particularem professi inducendi incapacitatem omnis dominii, in voto paupertatis professae, non esse juris Ecclesiastici, sed naturalis. Sed Bonifacius in cit. c. unico, manifeste loquitur de solemnitate substantiali. Definit enim, *solemnitatem voti ad matrimonium subsequens reddendum irritum*, esse *Ecclesiae constitutione inventam*; at solemnitas illum effectum praestans, non est solemnitas accidentalis; nam ex accidentalibus res definienda non est. 2. Pontifex ibi constituit discrimen *inter vinculum matrimonij, & voti solemnis ut sic*, quod illud ex Dei institutione, *hoc autem ex sola Ecclesiæ constitutione sit*. 3. Quia si solemnitas substantialis consisteret in ea traditione profitentis, vi cuius *ex natura rei* induceretur inhabilitas *valide contrahendi matrimonium*, vel rerum temporalium habendi, aut transferendi dominium

pro

propriâ voluntate professi, in voto obedientiæ solemniter professæ nulla foret solemnitas substantialis, cùm in taliter professo adhuc maneat dominium voluntatis ad multa validè facienda, etiam contra præscriptum Superioris. Nam jussus, ne sine licentia voeat, vel pro aliis sacra faciat, utrumque validè facit, ut pluribus demonstrat Sanchez cit: 4. Gregorius in bulla *ascendente*, referens errorem illorum, qui dixerunt, emittentes simplicia biennii vota, non esse verè, & propriè religiosos in Soc: JESU, rationem erroris eorum reddit, eò quod non consideraverint solemnitatem voti sola Ecclesia constitutio ne inventam esse; ut præmissum erat in decreto Bonifacii c. *unico*; non latebat autem Pontificem, quod Patroni contrariæ sententiæ illum textum exposuerint de solemnitate accidentalē, ergo utrumque decretum necessariō exponendum est de solemnitate substantiali, V. dicenda n. 390.

Quod affertur ex S. Thoma, in præsens locum non habet 1. quia D. Thomas scripsit ante doctrinam Canonicam, & decretum tum Gregorii, tum Bonifacii, indubie anplexurus Constitutionem hanc Pontificiam, si ætate suâ emanasset. 2. S. Th. intelligi potest eodem sensu, quo c. cùm ad Monasterium, de statu Monach. volens, nec Pontificem dispensare posse in abdicatione proprietatis, ut relatum est n. 370. Nam hoc

Canonistæ passim intelligunt, de dispensatione, remanente statu Monachali, seu Religioso, cui repugnat proprium, juxta explicationem proprietatis in n. 371. Cœterum summum Pontificem, causâ boni publici, posse dispensare validè, & licitè in votis solemnibus etiam Religionis, tenet Sanchez de Matrim: l. 8. d. 8. & in Decalog. l. 5 c. 2. Azor. l. 12. Instit: mor: c. 7. q. 3. cum aliis plurimis.

§. II.

Cum voto paupertatis, constitueretur voven-
tem verè, ac propriè, religiosum, stat dominium
rerum temporalium, in persona
particulari.

376. **S**Ic Barbosa l. 1. juris Ecclesiast. c. 41. n.
191. citans pro se complures alios, qui
etiam videri possunt apud Haunold. to. 1. de
Just. tr. 4. n. 8. Ad hoc probandum not. 1. in
Soc: Jesu, ab his, qui biennio Noviciatus pro-
bati sunt, si perseverare voluerint, & Societati
ab eis satisfactum fuerit, emitte tria substantia-
lia Religionis vota simplicia, Paupertatis, Ca-
stitatis; & obedientiæ, quibus Novitii esse de-
finunt; & in Societatis corpus cooptantur.
Greg. XIII. in Bull: Ascendente. 8. Cal. Jun.
1584.

377. Not: 2. habentes prædicta tria vota
sim-

simplicia, qui ad gradus Professorum, vel Co-adjutorum formatorū nondum pervenerunt,
bonorum suorum jus, atque dominum ad tempus,
Generalis Præpositi judicio præscribendum,
retinere, sic tamen, quantum ad illorum usum,
paupertatem religiosam servare, ut nullâ re,
tanquam propriâ, & sine Superioris facultate
uti possint. Greg. XIII. bull: *ascendente cit.*

378. Quia tamen non deerant, *horum votarum naturam non intelligentes* (ut notat Gregorius) qui illos, eo quod non essent Professi, veros esse Religiosos negabant, & plura in præjudicium hujus Instituti, falsâ doctrinâ communiſcebantur: ideo Greg. Pontifex præcit: in ead. bullâ, Universalis Ecclesiæ utilitati, quam ex inviolato, & inconcuso dictæ Societatis Instituto Ecclesia sentit, prospicere volens, motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ authoritatis plenitudine, statuit, decrevit atque declaravit, eos, qui tria vota substantia-
lia prædicta, *tametsi simplicia*, emiserint, aut
emittent in futurum, verè, & propriè, *Religiosos fuisse, esse, ac fore*, & ab omnibus censi, ac
nominari debere, non secùs, atque ipsos tum *Societatis*, tum *quorumvis aliorum Regularium Ordinum professos*; atque, ut contradicentium audacia
coercentur, omnes assertiones contrarias, falsas omnino, & temerarias esse, & censi debere; precipiens insuper in virtute S. obedientia, ac sub poenis ex-

communicationis, late sententia, nec non inhabilitatis ad quævis officia, & beneficia secularia, & quorumvis ordinum Regularia, ipso facto, absque alia declaratione incurrendis, ne quis, cujuscunque status, gradus, & præminentia, quovis quæsto colore, directè, vel indirectè, prædicta impugnare, vel eis contradicere audeat. sic Gregor. cit.

379. Ex his autem conficitur probatio asserti nostri. Nam tria vota simplicia, quæ post expletum Novitiatum in Soc: JESU. emittuntur, emittentem non secùs, ac cuiusvis alterius ordinis professum, constituunt verè, ac propriè Religiosum, ex n. 378. sed cum his votis in persona particulari stat jus & dominium rerum temporalium ex n. 377. ergo.

380. Dices 1. Quomodo potest quis esse pauper, habens dominiū? R: non agendo, quæ domini sunt, puta in usu rerum suarum licito dependendo à voluntate alterius, cui sponte se subiicit. Nam votum religiosæ paupertatis ex natura sua, solum usum liberum & independentem à voluntate superioris essentialiter excludit secundùm dicta.

381. Dices 2. Ergo si talis religiosus sine licentia sui Superioris disponeret de rebus suis, validè disponeret? R: affirmativè. Ita Suar. Sanch. Wadingus, & alii quia talis dispositio nullo jure annulata est, neque ullo jure convincitur, licentiam Superioris requiri authoris-

ratiū, & per modum formæ substantialis ad actum, sed tantum ad modum actus, scilicet ut licet fiat.

§. III.

Ut religiosus aliquid accipiens, vel expendens, excusetur à vitio proprietatis, seu violatione paupertatis, sufficit legitimus consensus legitimi Superioris.

382. Nam solus usus rei independens à legitimo consensu legitimi superioris, ex natura voti religiosæ paupertatis interdictus est, ut constat ex n. 372. & 380. ergo cum tollitur illa independentia per usum dependentem, usus rei non manet voto interdictus; sed per illum superioris consensum, usus rei fit dependentis; ergo. Consensus autem legitimus est, quando est voluntarius, & ex rationabili causa, seclusâ lege Superiori annullante facultatē in ejusmodi usum consentiendi.

383. Not. autem i. sufficere consensum etiam tacitum, & jure optimo praesumptum. Nam taciti, & expressi eadem est virtus. L. cum quid ff. de reb. creditis. & c. 2. de rescriptis. Quia quando rationabiliter praesumitur, id velle superiorem, quamvis expressus ejus consensus non habeatur, non dicitur res fieri absque ejus licentia. Huc reducunt aliqui, taciturnitatem

superioris, videntis religiosum aliquid accipere, vel expendere, & non contradictentis. sic Navarr. l. 3. Consil. in 1. edit. tit. de Regul. rib. consil. 75. n. 64.

384. Sed nota 2. excipi 1. ut non valeat licentia solùm tacita, ubi ratione paupertatis extat præceptum, nihil recipiendi, vel expendendi, *sine expressa licentia*; intellige, nisi esset necessitas urgens, & deficeret recursus ad superiorem 2. ut non sufficiat sola taciturnitas, *si est pura permissione*; (puta, si solùm taceat, ex recundia, vel timore, aut simili ratione.) scècùs, *si est quadam approbatio*, quod fit, si potuit commodè prohibere, & tacuit.

385. Not. 3. ad usum rei excusandum à culpa contra votum, insufficientem esse superioris consensum, quotiescumque hic nascitur ex causa illi tollente voluntarium, de quo egimus in tr. de actib. humanis. Huc reducunt communiter, consensum extortum importunis, & molestis precibus; vel fictis rationibus, aut etiam taciturnitate veri, quo exposito consensus negaretur &c. Ita Sanchez. l. 7. Decal. c. 19. à n. 16.

386. Not. 4. causam licentiæ, seu consensū (ut sit legitimus) debere legitimam esse; quod fit, si concedatur licentia ad usum honestum, nec dedecentem statum usurpantis. Si tamen contingat, Religiosum obtentâ licentiâ

accipiendi, vel expendendi rem in usum honestum, expendere in usum non honestum, non incurret poenas proprietatis, statutas contra proprietarios; nam haec sunt contra religiosos absque *omnilicentia* peculium tenentes. Ita Navarr. cum Sanchez cit. n. 25: quin. 30. docet, accipientem pecuniam, vel quid simile a Religioso, propter finem turpem, aut ex lusu prohibito, teneri ad restitutionem; cum habeat a non domino; nec usus rei ad finem turpem constitui potuerit ex superioris consensu, quod verum est, esto ipsi superiores sic abuterentur; sed intellige, de rebus, quae sint propriæ Monasterii; & nisi commoditatem, ac administrationem eorum bonorum habeat independenter a Monasterio.

387. Not. 5. cum queritur, an ad vim dandi requisitam licentiam, sit superior legitimus, qui praest conventui vel Collegio, cuius de facto & pro tunc non es membrum, sed tantum hospes? *R*: affirmativè, si in tua religione fit regula, qualis est in nostra Societate, quā hospes subiicitur talis loci superiori æquè, ac alii ejus Domus inquilini. Quia tunc, quamdiu es in tali domo, ille est vere tuus superior. Ita Sanch. l. 7. in decal. c. 19 n. 41.

388. Si autem petas, an, quando a superiore tuo habes licentiam dandi (v. g. habes licentiam accipiendi & rursus distribuendi res certas

tas, imagines &c.) hoc ipso etiam alter Religiosus, sine alia licentia nova, à te dante licite aliquid eorum accipiat? Negat Sanch. cit. n. 71. Nam dispensatus in voto castitatis ad matrimonium, non hoc ipso affert dispensationem Virgini voto castitatis ligatae, nisi per ordinem ad illam dispensatus sit. Cæterum Cardinalis de Lugo de Just. d. 3. s. 8. n. 165. refert, à se in hac quæstione consultum. P. N. Mutium Vitellescum, Generalem nostræ Societatis, respondisse pro nostra Soc. nisi superior expressè contrarium declaret, semper præsume posse, illum, cum licentia dandi dedisse etiam omnibus subditis licentiam accipiendi.

§. IV.

Religiousus professus, in Episcopum electus, probabilius solvitur à voto paupertatis.

389. **S**ic Wadingus de contract. D. 2. d. 3. §. 2. n. 7. Poncius de matrim. l. 7. c. 13. Nam Monachus, factus Episcopus, jure vendicabat sibi paternam hæreditatem. c. statutum. 18. q. 1. ergo factus est capax dominii. Alias enim non sibi, sed monasterio illam vendicaret. S. Thomas non obstat. Quia putavit non posse, quem solvi voto, eo quod vota essent quoad solemnitatem juris divini; sed contra-

rium constat ex n. 375. & pateb. infra n. sequenti. Deinde stante voto, fieri poterat capax dominii. Nam hoc consistere potest etiam cum voto solenni. ex n. 368. Nec obstat Glos. sā explicans illud: *sibi*, ut idem sit, ac, quod vendicet Ecclesiæ suæ, tanquam sponsæ. Nam sic Monachus, propriè & usu juris, acquireret *sibi*, quæ acquirit monasterio, quod tamen est falsum, cùm hæc in jure habeantur ut distincta. Sic Wadingus cit. d. 3. §. 2. n. 9. Nec deniq; obstat, quòd in morte suam substantiam teneantur relinquere Ecclesiæ suæ. Nam etiam Clericis secularibus negatur factio testamenti de bonis acquisitis intuitu Ecclesiæ, & tamen in vita sunt eorum domini, secundūm communem aliorum sententiam.

390. Not. præterea 1. Monachos, & Moniales, olim, etiam post religiosam professionem, non fuisse statim exutos omnium rerum suarum dominio, sed earum tantum, quæ actu detuleruat secum ad monasterium, retento jure succedendi, *proprio nomine*, in paternam hæreditatem. L. *Deo nobis*. C. de Episcopis L. *nunc autem* C. de Episcop. & Clericis. Not. 2. Quando S. Thom. 2.2. q. 88. a. 11. docuit, Papam non posse dispensare in votis religiosis, id factum, quia scripsit pluribus annis ante cōstitutionem Bonifacii 8. qui c. *unico*, de voto, & voti redēptione declaravit, voti solennitatem ex fo-

sola constitutione Ecclesiæ inventam esse. Alias S. Doctor non dixisset oppositum, utpote observantissimus sedis Apostolicæ. Deinde dici potest, S. Thomam aliud non velle, quām quod Pontifex non possit facere, ut quis votis solutus maneat religiosus, ut notavimus n. 375 ad finem.

§. V.

Religio, vel monasterium, bonorum in communi, & successionis capax, vivo professo succedit in omnia bona, & jura sui professi.

391. **Q**ualiter, & quo jure Monasterium succedendi capax, succedat in bona professi, de quibus ante professionem non disposuit, constat ex dictis à n. 104. ubi etiam data est ratio conclusionis in titulo hujus §. propositæ. Nam ex inibi dictis constat 1. quod e-jusmodi *Monasterium* succedat in omnia bona, & jura sui professi, de quibus antè non disposuit. Quo casu hæc bonorum translatio, exceedens summam lege taxatam non indiget insinuatione, cùm non sit mera donatio; nec inventarii confectione, cùm non succedat tunc ut hæres, ex n. iii. 2. quod *ratione illius*, quamdiu naturaliter vivit, retineat *ius suitatus*, & eodem jure succedat ex persona sui professi, quo hic


hic successisset, si in seculo mansisset, ut n. 106. notatum est. 3. quod in bona sui professi, quae prius habuit, & de quibus ante non disposuit, non succedat ~~ut hæres~~, sed, ut dictum est n. 111. ea acquirat per consequentiam personæ, & acquisitione naturali. 4. quod cum succedit in ejusmodi bona per consequentiam personæ, non fiat *mutatio*, cui alligatum sit debitum pendendi laudem, ex n. 140. etiam spectato jure consuetudinario Styriæ, à n. 141. 5. Quod professio in ejusmodi Religione non aequivaleat morti naturali, nec professum reddat omnino incapacem juris, habendi communiter bona temporalia, ex n. 117. Hinc sequitur 1. non solùm usumfructum, sed etiam emphyteusim, professione religiosâ Usufructuarii, & Emphyteutæ in Monasterium, per consequentiam personæ transferri, ac vivo professo ratione ipsius eod. jure permanere, quo is haberet, si professus non esset, nulla mutatione personæ, sed modi rem habendi. Ut constat ex dict.

392. Sequitur 2. Si quis substitutione fidei commissaria gravatus profiteatur in religione successionis, & bonorum capaci, per hoc excludi substitutum, & succedere monasterium. Sic affirmat Sanch. cit. c. 16. n. 4. Quia non intellegitur sine hærede decedere, qui monasterium sibi hæredem instituit, c. *in præsentia. de probat.*

Hinc

Hinc ea conditio (*si sine hærede decesserit*) quatenus in præjudicium monasterii cedit, habetur pro non adjecta, juxta auth. *de Sanctiss. Episc. S. sed & hoc praesenti.*

393. Sed quid, si talis ingrediatur Societatem JESU? *R.* Si Collegium, vel Domus Probationis à suo Religioso emittente vota biennii, hæres instituatur, vel in ejus favorem ab illo fideicommissum renuncietur, probabilius esse, substitutum etiam in perpetuum excludi. Nam ut substitutus excludatur, nihil requiritur, nisi ut verificetur, fiduciarium, seu gravatum, esse religiosum, & religionem habere pro hærede. *c. in praesentia. de Probat. Sanch. cit. c. 16.* Sed, si quis in Societate JESU post biennium emittit vota, tunc emitti solita, verificatur, quod cum effectu sit religionem ingressus, & actu sit religiosus. Aliunde Societas ponitur renuntiatione eius instituta hæres, & huius illius Collegia, & domus Peobationis omnino capacia sunt. Imò & domus Professæ, teste Sanchez l. 7. c. 17. n. 15. ergo.



QUÆSTIO IX.

De Justitia.

394. **J**ustitia 1. Significat complexionem omnium virtutum; &, à S. Chrysostomo ho-

homil. 12. in Math. Dicitur *omnium mandatorum plena custodia*. Et sic sumitur, cùm dicitur: *beati qui sitiunt justitiam*. Sed de illa in hoc sensu non agimus. Nobis quæstio est de justitia, quæ describitur à S. Th. 2.2. q. 58. a. 1. habitus, secundùm quem aliquis constanti voluntate ius unicuique tribuit; hoc est, agit juxta exigentiam juris alieni. Per *constantem voluntatem* alii intelligunt, habitum intensum, quo quis inclinatur ad stabiliter sic operandum; alii cum Lessio 1. 2. d. 1. n. 2. firmum propositum habituale. Nam qui non in omni eventu vult alterum in jure suo indemnem conservare, non est ethicè, & moraliter justus. Conservatur autem, non lædendo, vel reparando, si læsum est.

395. Justitiam sumptam pro habitu inclinante ad cuique tribuendum secundùm æquitatem debiti, dividunt aliqui in legalem, vindicativam, distributivam, & commutativam. *Legalis* inclinat ad procurandum commune bonum, intentum à legibus propter specialem conjunctionem, quam habet pars cum toto; *Vindicativa*, ad prudentiam æqualitatem pœnae cum delicto; *distributiva*, intendit æquam divisionem bonorum, & onerum communium, inter membra communitatis, juxta proportionem excessus, vel defectus, quem habent ad invicem in eo prædicato, vel titulo, in quo fundatur ea divisio: *Commutativa* denique, quæ cui.

cuique tribuit juxta ius suum propriè dictum
sine respectu personarum, vel meritorum.

ARTICULUS I.

De Justitia Legali.

396. **J**ustitia legalis, tametsi sit *virtus generalis*
ratione materiæ, cùm imperet actus vir-
tutum propè omnium, quarum observantia
communi bono necessaria est; ex motivo ta-
men est *virtus specialis*, quia in omnibus directe
quærit ut finem, & gratiâ sui, commune bonum
relucens in qualibet operatione *communis bono*
serviente.

§. I.

Justitia legalis non est strictè justitia.

397. **T**a Cardin. de Lugo. hīc d. 1. n. 63.
INAM vel sumitur pro collectione o-
mnium virtutum? (ut volunt aliqui) vel pro
virtute speciali definita numero priori? sed ne-
utro modo est justitia strictè. non 1. modo sum-
pta; sic enim omnes virtutes essent stricta ju-
stitia. Non etiam secundo. Quia observantia legū
non debetur jure stricto reipublicæ; alias omnis
earum transgressio foret stricta injuria; ergo.
Hinc not. 1. cùm dicitur: *in Principe, vel Iudi-*
ce, dare legalem justitiam, transmitti posse (nam
de hoc variant doctores, ut not. Lug. n. 67.)
per

per hoc tamen non sequitur, illam esse justitiam strictè. Princeps considerari potest, *vel ut pars reipubl.* (& sic consideratur directè, ejusque justitia, non est justitia strictè) vel reflexè, quā reip: tenetur *ex pacto*, & vi muneris sui, ad curandum ejus bonum; & sic ejus justitia est commutativa. Not. 2. negandum esse, quod à subditis commune bonum reipublicæ debeatur jure proprietatis. Ita Lugo.

398. Not. 3. Dupliciter fieri posse, quod quis agat fortiter, vel temperanter, 1. propter bonum & honestatem relucens in actu fortitudinis, vel temperantiae. 2. amando bonum fortitudinis, ex fine boni communis. Illud, pertinet ad fortitudinem, secundum quod est virtus specialis; istud ad justitiam legalem, quā est virtus specialis. Sicut enim hoc, *quod est fortiter agere*, est quoddam bonum, quod sibi ut finem Fortitudo vendicat; sic commune bonum reipubl. est quoddam bonum, quod ut finem directè quærerit justitia legalis. Ex hac ratione diximus in tract. de pœnitentia, eam virtutem, quae ut finem quærerit *bonum deletionis peccati*, datum gratiâ sui, esse pœnitentiam specialem, & habitum purè reflexivum.

§. VII.

Justitia legalis formaliter, & propriè datur in Deo.

399. **S**ic Izquierdo D. 35. de Deo. q. 3. n. 277.
Nam Deus bonum universi amat propter connexionem, quam cum eo habet, ut ejus author, & membrum principale, idque ex fine boni communis, ut expositum est priori num: Not: autem, cum dicimus, amari à Deo Universum propter connexionem, quam cum illo habet, ut author ejus, & pars principalis, per illam particulam *causalalem*, non denotari ullam causalitatem finis, aut motivi relatè ad aëtus divinos; sed tantùm ordinem mediorum in finem, sumptum non pro causa movente, sed pro termino, in quem Deus ordinat tem bono communi amatam, ut plurib. expositum est in tract. de Deo.

ARTICULUS II.

De Justitia Vindicativa.

400. **Q**uid ejus nomine intelligatur, expositum est n. 395. Quod sit virtus specialis, constat à n. 398. ex ratione à pari, qua bonum punitionis, relucens in quolibet actu, honestè vindicante transgressiones legum, à nulla virtute aliâ amatut ut finis, & gratiâ sui. Resolvendum solùm supereft, an sit justitia strictè? 2. an detur in Deo formaliter.

§. I.

Justitia Vindicativa non est simpliciter & strictè justitia.

401. **I**ta Card. de Lugo cit. n. 70. Ratio est, quia *justitia simpliciter* respicit *jus simpliciter*, & *strictè sumprum in eo*, ad quem ordinatur. Hoc non habet *justitia vindicativa*. Hæc enim dicitur ad reum, sed in hoc non respicit *jus*, ut puniatur. Confirmatur: quia *jus puniendi* oritur ex jure jurisdictionis gubernativæ; hæc autem non est *jus strictè*, seu *proprietatis*; ergo.

402. Hinc *jus*, quod habet reus, ut non puniatur ultra condignum, pœnâ scilicet excedente delictum respicit duo, unum *positivum*, alterum *negativum*. *Positivum* est pœna; *negativum* est carentia excessus pœnæ supra delictum. *Positivum* respicit *justitia vindicativa*; & in ordine ad illud, non est *jus in reo*; *negativum* autem respicit *justitia commutativa*; & ad illud reus habet *jus strictum*, sed hoc non terminat *justitiā vindicativam*. *Æqualitas prudentialis*, quam attendit *justitia vindicativa*, utrumque includit, *positivum* & *negativum*. Sed eam *justitia vindicativa* non respicit, nisi quæ dicit *positivum*.

403. Not autem eundem actum posse interdum esse *justitiæ vindicativæ*, & *commutativæ*;

probatur. Nam , quando Judex punit reum juxta mensuram delicti , punitio est actus justitiae vindicativæ, quæ infligit poenam ob culpam; quæ verò poenam moderatnr , ut non excedat ; vel quæ satisfacit suo muneri , ad quod tenetur ex contractu cum republica , est commutativa, & jure stricto debita. Ita S. Th. hic q. 108. a. 2. ad 1. Quando autem quis petit , sibi solvi debitum ex justitia , non eoipso hic actus est justitiae commutativæ, quia nullo iure alieno obligatur id petere. Lug. cit. n. 69.

§. II.

In Deo datur formaliter , & propriè justitia Vindicativa.

404. Sic Izquierdo cit. n. 253. pro quo not. Scum eodem, in Deo dari formaliter aliquas virtutes morales propriè dictas, quæ scilicet retentâ suâ definitione formali nullam includunt imperfectionem , vel imperfectionis illationem; (nam aliàs careret aliquâ purâ perfectione) secùs alias. Nec ex eo , quòd Deus in hominibus intendat actus poenitentiæ, actus divinus illos in hominibus procurans, dicitur ejusdem virtutis. Aliàs gulosus vel carnalis homo in aliis procurans actus temperantiæ , eo ipso esset temperans ; his positis prob : quia Deus cum omni proprietate , tanquam gubernan-

nator universi, punire dicitur scelera, & transgressiones legum; sed hoc est justitiae vindicativa, ergo.

405. Neque dicas: Virtutes morales pro motivo habent aliquid creatum; hoc repugnat Deo; ergo. P. Izquierdo cit: concedit Deum suorum actuum posse habere motivum etiam creatum, quia docet actus liberos Dei esse virtualiter contingentes, & virtualiter producibles. Verum hæc sententia non placet; ut exposuimus in Tract. de Deo. Quare &c: majorem esse veram in his, qui capaces sunt moveri ad suos actus per motionem propriè dictam, quæ respicit potentiam propriè mobilem ad illos, vel productivè, vel receptivè: in subjecto autem carente hac imperfectione potentiaè propriè dictæ respectu suorum actuum à mobili non distinctorum nemine cogitante, negandam esse; quia sic moveretur ad se ipsum vel producendum, vel recipiendum. Quare sufficit, applicationem volitionis necessariæ ad objectum quod inde denominatur volitum, ordinari à Deo in ejusmodi finem, tanquam terminum rei per modum medii volitæ; ut plurib. exponimus in tract. de Deo.

ARTICULUS III.

De Justitia distributiva.

406. PRæmitto nec istam esse justitiam strictè sumptam. Ita Lugo cit. n. 50. quia non respicit jus strictè, & simpliciter tale. Nam nullum ius est in privatis ad bona communia; sed tantum habitudo quædam, secundum quam fit retributio proportionaliter ad alios, ex bonis communibus.

§. I.

Justitia distributiva non respicit essentialiter, plures absolute, sed tantum ex suppositione.

407. RATIO primi est, quia cum beneficium datur uni, sine concursu plurium, servatur justitia distributiva, & tamen non sunt plures actu, inter quos fit distributio. Ratio secundi, quia sufficit, quod ita conferantur, vel distribuantur bona communia, ut cuique responderet suum juxta proportionem, quam haberet ad alios, si plures forent; ergo. Hinc cum dicitur, justitia distributiva respicit æquilitatem proportionalem, quam habent membra communitatis ad invicem; sed haec non est, nisi inter plures; distinguendum est: inter plures absolute, vel ex suppositione. C. semper absolute N. nec opus est, ut cuilib. semper respondeat aliquid positivè. Quando enim res danda est unica, sufficit reliquis dari carentiam e-

jus intuitu excessus, quam super illos habet alter.

408. Dices: interdum fit, ut quod geometricâ proportione distribuitur, pertineat ad jus privatum illarum personarum, quibus datur, sed tunc exercetur justitia distributiva; ergo ad hanc non requiritur, ut quod datur, non pertineat ad jus privatum. Ma: pat. Nam si debitor habens duos creditores, uni debet 100. alteri 50, primo tenetur dare 20. alteri 10. aureos, si habet tantum 30. R. N. min.. Nam hoc oritur ex justitia commutativa, quae petit æ qualitatem inter debitum & jus activum, eamque arithmeticam, quæ in hoc casu est, secundum jus actualiter obligans.

§. II.

Justitia distributiva propriè, & formaliter
datur in Deo.

409. Ta S. Th. 1. p. q. 21. a. 1. Suar. de just.
Dei l. 3. Izquierdo cit. n. 272. Prob:
quia Deus in bonis & oneribus communibus
juxta proportionem, quam habent partes u-
niversi ad invicem, servat æqualitatem 2. in red-
denda gloria attendit proportionem merito-
rum, quâ justus excedit justum; & in poenis
proportionem demeritorum. Hinc. N. quod
Deus attendat solam proportionem arithme-
ticam

ticam meriti ad præmium. Deinde, saltem potest attendere ad illam. Sic juxta majorem vel minorem dispositionem subjecti in usu Sacramentorum dat gratias inæquales, inæqualiter dispositis, &c.

410. Not. autem 1. ex violatione justitiae distributivæ, quæ talis, non nasci obligationem restituendi. Less. l. 2. c. 1. Lug. cit. n. 51. quia per illam non læditur jus strictum, nec alicui aufertur res sua. Neque ex eo præcisè, quod quis lædat regulam rationis, nascitur obligatio restituendi. Si tamen subditus plus æquo gravatur, læditur justitia commutativa secundum dicta.

411. Not. 2. justitiam legalem, vindicativam, & distributivam non esse partes subjectivas justitiae strictè sumptæ, sed tantum potentiales. Prob. Nam pars subjectiva dicitur, quæ justitiam ut si contrahit ad certam speciem; & potentialis, quæ non contrahit, sed tantum aliquæ ratione imitatur. Sic Izquierdo cit. n. 281. sed neutra ex illis contrahit justitiæ strictè sumptam. Alias quælibet respiceret ius simpliciter, & strictè tale contra hactenus dicta; ergo. Quælibet tamen imitatur justitiam, quia quælibet petit æqualitatem debiti ut cum legibus, vel cum delicto, vel cum habitudine partis proportionaliter ad alios respectu totius; ergo. Duxi justitiae strictè sumpta. Si enim per justitiam in-

intelligas, quæ cuique tribuit secundum æqualitatem, præscindendo an debitum fundetur in jure stricto, dici poterunt partes subjectivæ justitiae sic acceptæ. Sed sic loquimur minus propriè. Hoc enim, habet omne debitum.

ARTICULUS IV.

De justitia commutativa.

4¹². **H**æc est justitia, quæ cuique tribuit secundum æqualitatem juris propriæ & simpliciter talis, tantum scilicet, quantum in re jus alterius exigit secundum proportionem arithmeticam. Dicitur *commutativa*, quia præ aliis exercetur in commutationibus, & contracتبibus, qui respiciunt medium rei, non rationis. Hinc probabilius est, etiam justitiam distributivam genere distingui à commutativa, sicut proprium ab improprio. Hæc enim dat cuique suum simpliciter, illa verò *suum quodammodo*. Ita S. Th. hic q. 61. a. 1. ad 1. & 2. De conditionibus ad actum justitiae commutativæ requiri solitis, egimus in tr. de Incarn. q. 8. à n. 388. cùm ageremus, an satisfactio Christi fuerit ex rigore justitiae? quarè paucis conclusionibus absolvemus hanc quæst.

§. I.

Obligatio justitiae commutativæ non petit actum ex suo objecto formaliter.

Quia,

413. **Q**uia, qui ponit actum, quem petit ius alienum, prout petit, satisfacit obligationi justitiae. Sed ius alienum non petit actum ex tali motivo universaliter. Ex quocunque enim motivo fur rem furtivam reddat, modo reddat, eo ipso ponit, quod debet. Nam eâ redditâ nec fur plus, nec ipsius minus habet, quam debet. Dixi *ex objecto formalis*, quia in casu, quo æqualitas ponenda est per aliquid proprium debitoris, ponenda est ex fine, seu motivo ponendi æqualitatem juris passivi cum activo. Nam aliâs non poneretur operatio, quam petit justitia. Quia justitia petit operationem, quâ satisfiat juri alieno; sed nisi hoc casu ponatur ex illo fine, non ponitur ea operatio; prob: quia si creditori debes centum, & des centum, non animo solvendi, sed donandi, poneres quidem novum ius in creditore, sed antiquo juri, seu debito nondum satisfecisses. Hinc cum dicitur, legibus præcipi substantiam actus, non autem modum actus, verum est, quando modus non transit in substantiam actus. Ita S. Th. 1. 2. q. 100. a. 9. & 10. quando autem debitor satisfacit per aliquid suum, & proprium, modus (nempe illa intentio) pertinet ad substantiam actus. Nam aliâs eâ seclusâ foret extinctum debitum, quod tamen non contingit; ergo.

Unde ratio asserti constat; quia eâ casu actus

Etus præceptus est operatio ex tali fine; alias enim obligationi non satisficeret. Per hoc tamē nondum ponitur actus formaliter sub virtute justitiæ; quia operatio ex tali fine intenditur quidem à justitia, non tamen ratione sui, sed ratione specialis honestatis, quæ relucet in tali actu, ut notavi n. 395. Unde in hoc casu voluntas solvendi propter specialem honestatem talis operationis, pro materiali habet solutionem, seu actionem ponentem æqualitatem cum jure alieno. Ubi vides æqualitatem esse objectum materiale solutionis, seu operationis imperatæ à justitia; pro formali autem speciali ejus honestatem.

414. Ex hoc coll. et si satisfacere Deo pro alterius offensa sit specialis honestas propter se amabilis, & sibi vendicans specialem honestatem, seu virtutem; ut tamen Christus satisficeret, non fuisse necessarium, eum operari ex tali virtute formaliter. Nam sine tali operatione potest extingui debitum, ponendo scilicet honorationem Dei tantam, quantum dehonratus est per peccatum, modò Christus id fecerit animo extinguendi debitum à creatura contractum per offendam Dei.

§. II.

Eidem debito justitiæ simul adhiberi potest multiplex solutio adæquata, sed non successivè.

415. **E**adem debito posse adhiberi plures solutiones adæquatas, si omnes simul ponantur ex fine extinguendi tale debitum existens in instanti prædenti, probatur: quia tunc plures illæ solutiones sunt plura media adæquata ad obtinendum finem, qui est extinctio debiti præexistentis; sed multa media adæquata simul posita ex fine seu intentione consequendi certum finem, sic se habent, ut singula pro effectu suo habeant consecutionem finis; ergo etiam plures solutiones ita positæ sic se habebunt, ut singulæ pro effectu suo habeant extinctionem debiti. Ma. prob. quia debitor per solutionem intendit consequi æqualitatem debiti cum jure activo creditoris, aut potius extinctionem actialis debiti; min: etiam constat; quia quando multa media, simul posita ad consequendum finem, consequuntur finē, consequuntur singula; non enim est major ratio de uno, quam de altero. Sic si ad obtinendū aliquid officium afferas plures Patronos, quorum quilibet autoritate suâ assert eam commendationem, quæ sola sufficeret, concedi potest in gratiam utriusque, & singulorum adæquatè.

416. Conf. 1. quia possunt dari plures connexiones, quarum quilibet adæquatè inferat existentiam ejusdem termini. Sic unio animæ, actio creativa animæ, singula vi suâ essentialiter inferunt existentiam animæ. Confir. 2. solutio, quæ creditori dat tantum, quantum est debitum,

tum, est adæquata solutio; sed eo casu quælibet earum solutionum dat tantum, quantum est debitum; ergo quælibet est adæquata; sed debitum justitiæ est unicum; ergo uni debito justitiæ possunt adhiberi plures simul solutiones adæquatæ.

417. Non posse eidem debito justitiæ satisfieri pluribus Solutionibus successivè positis, & adæquatis, videtur esse contra Card: de Lug. d. 1. de Just. f. 2. n. 23. loquor de solutione destruictiva debiti, quod prius fuit. Prob: adæquata solutio omnino destruit debitum, quod præextitit: sed id quod semel destructum est, nequit iterum destrui, nisi reproducatur; ergo quod semel solutum est adæquate, solutione destruictiva debiti non potest iterum taliter solvi, nisi denudò reproducatur, vel contrahatur; sed debitum, ut suppono, non iterum contrahitur: ergo. Confirm. Quia implicat in terminis dari actualem destructionem, quin detur actualiter destructum per eam; implicat autem dari actualiter destructum sine eo, quod immediate prius fuit; ergo etiam implicat dari actualem destructionem; quin immediate prius sit debitum, per eam nunc destructum. Sed debitum, jam antè destructum, non est immediatè ante secundò positam destructionem; ergo.

418. Dices 1. Solutio indebita non satisfacit obligationi justitiæ; multiplex solutio tota lis

lis est indebita ; ergo. R. sit sit solùm *in individuo*. N. ma. si *tam in individuo*, quām spēcificē indebita. C. ma: sed de hac N. min. prob. quia per solutionem *indebitam in individuo* satisfieri potest obligationi ; nam in solutione *quoad individuum indebita*, continetur solutio debita specificē. Sic si debes alicui restitutio-
nem famæ, quam facere potes verbo, vel scri-
pto, neutra est determinatè debita, sed alteru-
tra ; & tamen dando *hanc determinatè*, satis-
facis. Quia tamen *satisfactio adæquata* includi-
tur tam in *una solutione adæquata*, quām in mul-
tiplici, quamcunque ponas, ponis, quod debes.

419. Instab. 1. debitor debet *unicam solutionem adæquatam* ; ergo reliquias non debet. R. *unicam*, hoc est, unicâ positâ satisfacio. C. *uni- cam*, hoc est, teneor ponere *unicam*, & *non plures*. N. Nam si esset obligatio ponendi *unam tantum*, ponendo plures, peccarem. Non ob- ligor ponere plures, sed nec prohibeor. De- beo igitur *unicam*, scilicet non *infra* ; non au- tem *exclusivè unicam*.

420. Instab. 2. quadruplex solutio adæqua-
ta est inæqualis debito ; sed per inæqualē
non satisfit ; ergo: ma. pat. quia debitum est
simplum ; & solutio illa est, *quadruplum* R. N.
ma: ad prob. dico, quadruplicem solutionem
non esse unam, sed 4. *solutions*, quarum quælibet
est æqualis debito simplō. Nam ex quatuor
solu-

solutionibus æquilibus debito, nihil resultat inæquale debito, nisi fortè ex omnibus fiat una vel duplex solutio, quod est contra hypothesim, quâ supponimus solutiones ex intentione solventis, esse quatuor. Prob. Nam si quatuor inter se sunt æqualia, & horum aliquod est æquale quinto, hoc ipso singula sunt æqualia quinto (sicut quatuor palmi comparati quinto) sed una ex illis quatuor solutionibus est æqualis debito, & omnes inter se sunt æquales; ergo.

421. Äquivocatio in hoc latet, quod cùm debitum est unus aureu, & debitor, dat quatuor aureos, quorum quilibet est solutio adæquatæ debiti, adversarii putent, & confundant omnes 4. aureos in unam solutionem, quod tamen est contra casum, & intentionem solventis, qui non vult solvere 4. aureos pro uno, sed querer unum. Nec quia omnes 4. aurei conjunguntur in una manu creditoris, ob id conflant unam solutionem; sicut enim ex intentione solventis pendet, ut traditio aureorum sit, vel non sit solutio (nam si debes unum aureum, & creditoris unum animo donandi, traditio ejus non erit solutio debiti, sed mera donatio) sic pendet, ut traditio 4. aureorum sit, vel non sit quadruplex solutio. Ex hoc colliges quadruplicem solutionem adæquatam ejusdem debiti pro priori existentis sic adhiberi, ut nulla sit superflua specificè, & sic, ut careat effectu, qui est

extinctio debiti; quamvis non quælibet ita ne-cessaria sit, ut ipsâ non positâ non fuisset extinctio debiti.

422. Dices 2. non potest idem numero ef-fectus produci à duplice causa totali efficienter; ergo nec idem numero debitum extingui à duplice solutione totali. R. 1. ant: à multis inPhi-losophia negari. R. 2. Potest idem terminus in-ferri à duplice connexione totali, ut constat in-ductione; nam si Deus revelet Petrum cras mor-titum, & tu credas, & revelatio, & fides, vi-suâ totaliter infert existentiam mortis. R. 3. potest idem effectus destrui à duplice causa to-tali; ergo etiam idem debitum.

R. 4. C. ans: ut dixi in Physicis. q. 10. lo-quendo *de causis efficientibus Physice*. N. cons. *de moralibus*; quia in moralibus hoc melior est a-ctus moraliter, quo plura sunt motiva, ex qui-bus procedit actus; effectus autem non est Physicè melior, quod fiat à plurib. causis Phy-sicè; imò in moralibus eæ solutiones adæqua-tæ non habent eundem moraliter terminum finaliter quæsumus. Nam debitum extinctum ex amore charitatis in proximum dicit aliam moraliter bonitatem, quam extinctum ex amo-re justitiae. Hinc licet solutiones illæ sint adæqua-tæ respectu extinctionis debiti, non tamen sunt totales singulæ respectu bonitatis moralis reluccentis ex omnibus motivis: effectus au-tcm

tem etiam à 100. causis Physicè productus non est Physicè melior, quam physicè existens ab una; ergo. Quælib. ergo solutio retinetratio- nem medii specialiter utilis ad finem, ut bene not. Lugo de just. d. 1. f. 1 n. 29.

423. Dices: licet in Physicis res Physicè semel extincta prius, non possit iterum physicè extingui, potest tamen intentionaliter prius extincta extingui rursum intentionaliter. Prob- hoc ipso, quod solutio intentionaliter refera- tur ab operante ad debitum antecedens, est a- ctualis solutio illius debiti priore solutione ex- tincti. Verum ant: cum sua probatione nega- tur 1. quia paritas urget. Nam res Physicè ex- tincta non potest iterum extingui physicè; er- go nec moraliter extincta, rursum moraliter 2. quia ex terminis constat, quod extingui, & de- strui, includat actionem ad rem existentem im- mediatè prius. Debitum autem semel solutum, nec moraliter est ante secundam solutionem. 3. intentionalis relatio ad equum anteceden- ter donatum, non facit, ut nunc, & sic semper, equum prius donatum, iterum dones; ergo à simili.

424. Dices. 4. peccatum semel condona- tum, potest iterum, & saepius condonari: sed peccati condonatio est moralis extinctio debi- ti, seu peccati; ergo semel extinctum potest sae- pius extingui, etiamsi non reviviscat. Ma: par-

quia peccatum semel dimissum, est adhuc sufficiens materia confessionis. Hinc in extrav: inter cunctas. habetur: licet de necessitate non sit, iterum eadem confiteri peccata: tamen quia propter erubescientiam, quam magna est pœnitentia pars, ut errorundem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre; ergo super peccato condonato verificatur forma absolutionis. Forma autem verificata includit condonationem; ergo iteratò verificata iteratam condonationem.

425. Totum in eo est, an hæc propositio: *absolutio sacramentalis est condonatio peccati*, vel includit condonationem peccati, intelligenda sit de actuali remissione? Suarez. D. 19. de pœnit. & Lugo. D. 13. s. 3. universaliter negant, quia satis est, si dicas, sufficere remissionem radicalem, qua per sacramentum præsens conferatur gratia ut remissiva peccati, quantum est ex se; &, quæ actualiter illud remitteret, si aliunde remissum non fuisset. Igitur:

426. qd. peccatum semel extinctum, & condonatum posse iterum condonari condonatione radicali, non actuali. Absolutio sacramentalis est actualis condonatio peccati nondum prius condonati; & solùm radicalis respectu peccati jam prius extinti. Neque ex eo, quod etiam per revelationem constaret, illud jam antè condonatum esse, desinceret esse ma-

teria doloris, quia hæc ipsa Dei bonitas, quæ peccatum tam benignè remisit, novo dolori argumentum suggerit, quòd Deus tam bonus offensus sit. Nec quia cognoscitur esse remissum, amittit esse præteritum provocativum disloquentiæ. Nam memoria præteriti mali semper est provocativa disloquentiæ.

427. Dices 5. Anticipatâ solutione potest extingui debitum futurum; sed debitum futurum non præexistit actualiter; ergo. debitum non præexistens actualiter, potest extingui actualiter. Ma. pat. ex S. Th. in 4. dist. 15. q. 1. a. 1. ad 3. ubi dicit: quòd justitia non tantum tendat, ut inæqualitatem præcedentem auferrat, sed etiam in futurum æqualitatem custodiat, cavendo. R. N. ma. Nam in terminis implicat, quòd aliquid prius esse desinat, quam sit; vel moriatur, antequam vivat. Sic in moralibus risu dignus foret, qui peteret dispensationem solutivam à voto, nunquam emissō. Anticipata solutio non extinguit, nec remittit debitum nondum contractum; sed solùm impedit, ne contrahatur. Et sic intelligendus est S. Thomas.

§. II.

Creatura potest erga Detinum exercere actum strictæ justitiæ, & injuriæ.

428. PRIMAM partem tenet Suarez tom. 1. in 3. p. D. 4. s. 5. Ripalda. de ente

supernat. l. 4. D. 84. s. 5. contra Vas. tom. 1.
in l. p. D. 85. n. 24. &c. Prob. quia homo pot-
est exercere actum justitiae strictae erga domi-
num proprietatis; sed Deus est dominus pro-
prietatis; ergo. Ma: prob. nam homo potest
facere, quod exigit jus proprietatis, nempe
illud non laedendo, vel si laesum est, reparan-
do. Min: constat, quia Deus est verè dominus
universorum non tantum iurisdictione, sed
etiam proprietate, cùm de omnibus disponere
possit in commodum suæ libertatis.

429. Prob. etiam 2. pars. quia exercere stri-
ctam injustitiam, est negare id, quod quis de-
bet alieno juri simpliciter tali. Deus autem ju-
re suo simpliciter tali potest ab homine exige-
re actiones hominis, & hic eo ipso, quod liber
est, eas negare; ergo. sic Hurt. de Incarn: d.
12. §. 113.

430. Dices: injuria petit fieri invito altero;
nulla actio creaturæ potest esse invito Deo; er-
go nulla potest esse injuria Deo. Min. pat.
omnis actio creaturæ essentialiter pendet à li-
bero concursu Dei saltem permissivo; impli-
cat autem fieri me invito, quod fit me liberè
permittente; nam *esse invitum* dicit, *no[n]e*; & in-
vitus non est, qui scit, ac potest impedire, &
non impedit. Sed Arriaga ait, hoc argumen-
tum non videri dignum Catholico. Nam si ce-
tiam nemo esset inobediens Deo, nemo Deum
of-

offenderet. Nam & hæc Deus liberè permittit.

Quare C. ma: N. min: ad prob: C. ma. N. min. Certum enim est, quòd cum permissione libera peccati stet efficax prohibitio peccati, ergo cum permissione stare potest prohibitio ex virtute iustitiae. Hinc eam propositionem distinguo: *quis libere permittit actum, non est invitus, quoad concursum, quem præbet. C. quoad actum, quo quis abutitur Dei concursu. N. cum hoc enim stat, quòd ei, cui suum concursum indifferentem offert, voluntatem suam prohibet, & displicentem in actu intimet, in quo stat ratio animi inviti; & ideo homo faciens tales actum, dicitur facere voluntatem suam, non Dei, quia id agit, quod displicet Deo. Sic Concil. Arauf. 2. can. 23 Ripald: cit. s. 2. n. 8.*

431. Hæc propositio: *ille qui non impedit, dum scit, & potest, non est invitus, non est universaliter vera. Alias enim Deus non esset invitus & prohibens peccatum, & offenditam sui. Ue vera sit, limita sic: si tenetur impedire. C. si non tenetur. N. quia qui tenetur, & non impedit, non impediendo cedit jure suo, quod habet ad impediendum; si enim tenetur non impedire, eatenus tenetur, quatenus tenetur non cedere jure suo; econtra, qui non tenetur impedire, non impediendo, utitur jure suo. Sic creditor, qui scit se contumeliosè tractandum à*

à debitore , si debitum exegerit , esto contumeliam formaliter posset impedire non exigendo , tamen exigendo non cedit jure pecuniae , quia scilicet non tenetur impedire illum actum debitoris .

§. IV.

Non omne peccatum defacto est stricta injuria contra Deum .

432. Nam ex positione , vel omissione aliquius actus etiam contra voluntatem alterius non nascitur injuria stricta , nisi stricto jure justitiae prohibita sit ; sed non omne peccatum nostrum contra Deum , jure proprietatis à Deo prohibitum est , cum Deus eo jure non cogatur peccata nostra prohibere ; nec defacto prohibere ullo scripturæ textu constat ; ergo . Hinc N. quod omne peccatum essentialiter displiceat Deo , ut domino proprietatis ; quia huic , ut tali . non potest displicere secundum malitiam nisi *injustitia* . Sed non omne peccatum hoc habet , præsertim si fiat sine cognitione de resistentia juris alieni . ant . autem prob . quia nullum peccatum potest Deo displicere secundum malitiam , quam non habet . Licet enim omne peccatum sit *ilegitimum* , non tamen est *iniquum* .

433. Ex hoc coll . i. non bene dici : omne peccatum essentialiter displicet Deo , ut domino jux

jurisdictionis; ergo etiam, ut *Dominus proprietatis*.
Nam N. conf. ratio est, quia peccatum quodlibet ideo essentialiter displicet Deo, ut domino jurisdictionis, quia huic, ut tali, titulo supremæ potestatis legislativæ displicet omne illegitimum, sed non omne illegitimum (seu quod est contra legem) est *iniquum*, seu strictè injustum.


434. Coll. 2. quando in scriptura homines vocantur servi, & Deus *Dominus*, hæc nomina non usurpari cum restrictione *ad dominum proprietas*, sed vel ad hunc, vel ad dominum jurisdictionis. Hinc etiam, qui colunt Deos alienos, servire dicuntur, scilicet exhibitione obsequiis etiam non debiti jure simpliciter.

435 Coll. 3. illum usum rei alienæ invito & displicente domino esse injuriam, qui est invito domino, ut *domino proprietatis*, non præcisè jurisdictionis. Deus autem non est ad omnem rei usum illicitum invitus primo modo, sed secundo. Sic etiam irreverentia facta Principi non foret ei injuria, si illam non prohiberet, nisi solo jure jurisdictionis.

436. Quando autem dicitur omnis indigna tractatio Dei est injuria Deo: omne autem peccatum Theol: grave est indigna tractatio Dei, cùm divina majestas per illud postponatur creaturæ; ergo. R: Ripalda, ma: esse veram de indigna tractatione Dei quoad effectum; non autem solum effectum. Negat autem omne

peccatum grave Theol. esse indignam tractationem Dei in effectu. R. potest 2. si Deus illum prohibeat, ut dominus proprietatis. C. secundus N. ad illud autem Deus non necessitatur, si cut in pluribus jure suo non utitur. ergo.

437. Cum autem in tract. de Incarnatione, anno 413. tradiderimus, in Deo etiam formaliter, & propriè dari posse, strictam justitiam commutativam, ex eaque illum obligari posse creaturæ; idem & hic propugnamus, ex inibi dictis.



QUÆSTIO. X.

De Injustitia.

438. Injustitia, seu injuria est actio positiva, vel privativa, qua læditur ius alienum simpliciter tale. Injuria actualis alia est *realis*, alia *personalis*; alia *materialis*, alia *formalis*, idque vel *in sensu Physico*, vel *moralis*. Læsio, quæ aliqui fit in rebus suis, est injuria *realis*; dum contemnitur persona, est *personalis*. Cum quis læditur ex motivo damni inferendi, est injuria *formalis in sensu Physico*; quando talis læsio fit culpabiliter, est injuria *formalis in sensu moralis*; ac in eodem sensu *materialis*, quando fit sine culpa: his positis tria tantum præsenti q- pro-

proponemus. Primum est, an volenti fieri possit injuria. 2. Cùm ex violatione justitiae stritæ plerumque nascatur obligatio restituendi, an hæc obligatio, seu præceptum, sit purè negativum, vel positivum. 3. Quæ sit faciendæ restitutionis radix? & quotuplex?

ARTICULUS I.

Volenti, quandoque fit injuria.

439. Supp. 1. aliud esse, aliquem *consentire juridicè*, aliud, *non juridicè*, seu, ut vult Haunoldus to. 1. de just. tr. 2. n. 116. *efficaciter*, & *inefficaciter*. Juridicè consentit, qui dat alteri ius, vel legitimam facultatem non annulatam lege, vel voluntate legitimi superioris; si secùs, consensus est non juridicus.

Supp. 2. quòd quis non juridicè consentiat, colligi ferè ex his capitibus. 1. Si consentiens non habet plenam libertatem physicam, ut *ebrus, habens philtrum &c.* 2. si nec habeat libertatem moralem, ut *qui agit ex metu cadente in virum constantem &c.* 3. quando quis non impedit, quod non tenetur impedire. Sic licet Deus non impedit peccata, tamen ob id non consentit, ut fiant, secundùm dicta. n. 430. & seq.

440. Dicendum 1. *volenti juridicè*, non posse fieri injuriam, si volitio illa sumitur in sensu formalí. Prob. quia sic ius, taliter consentientis,

per ordinem ad illam actionem alteri non resistit: dixi, si sumitur in sensu formalis, hoc est, si sententia ex parte causae ad usum, vel tanquam concausa, vel tanquam conditio sine qua non. Si enim se habeat merè per accidens, & omnino materialiter, usus adhuc erit injustus. Nam si utaris equo Petri eo animo, ut eodem utereris etiam invito Petro, certum est, talem usum fore injustum, licet tunc adsit consensus Petri, quia adest merè materialiter. Petrus enim habet ius, ne quis utatur ipsius equo, nisi dependenter ab ejus facultate, quod non est in praesenti; ergo.

441. Dicendum 2. *Consentienti non juridice posse fieri injuriam*, quia cum tali consensu stat, quod jus taliter consentientis alterius actioni resistat 2. quia per illum consensum nec fit cessio juris, nec collatio potestatis legitimæ ad ponendum usum, consequenter usus rei fit contra ius. Ant: est ex n. 439. Confirm usus rei alienæ non consentiente domino est injuria; sed hoc fit in dato casu; prob. quia consensus non juridicus perinde se habet, ac non consensus; talis enim consensus est nullus nullitate juris, cum hoc ipso, quod sit non juridicus, sit vel contra vel præter ius: voluntas autem nulla nullitate juris perinde se habet, ac si non adesset; ergo.

442. Ex dict. coll. I, Aristot. 5. Eth. c. 9.
& S.

& S. Th. hic q. 59. a. 3. docentes, *volenti non fieri injuriam*, intelligendos, de volente juridice. Sic etiam intellige reg. 27. in 6. & l. 187. ff. de reg. juris. Imò Streinius l. 6. de reg. juris. reg. 27. n. 1. ait. regulam, quæ negat scienti, & consentienti, fieri injuriam, solum intelligi sic, & eo pacto, ut sermo sit non de *inuria secundum se*, sed ut pariente *actionem civilem*.

443. Coll. 2. Gaudium, quo Christus, & SS. MM. passi sunt, non fecisse, ut non sint injuriam passi; per hoc enim suis tortoribus nullum ius, aut legitimam facultatem tribuerunt. Ita Lugo de Incarn. d. 3. f. 6.

Coll. 3. ex eo gaudio non rectè colligi, quod cesserint juri suo. Nam, si ex eo, quod quis amet injuriam pati, hoc sequeretur, rectè inferretur, quod amet aliquid impossibile, vel amore sibi ipsi repugnante; nam *inuria* non stat cum cessione *juris*; ergo nec amor *injuriae*.

Coll. 4. Christum, & SS. MM. adhuc passos esse injuriam, esto ponas eorum consensum; hic enim non curabatur, sed contemnebatur à tortoribus æquè invitos afflicturis; sic enim afflictio non fuit ex consensu *formaliter*, juxta n. 440.

444. Coll. 5. Mutuatarium mutuanti solventem usuras, seu aliquid ultra sortem, non pati injuriam, si det merè liberaliter, sine respectu ad mutuum; secùs, si det ut *preium*, quo

quo emat mutuum, etiam sponte, Nam hæc voluntas omnijure est nulla, consequenter non juridica, cùm sit voluntas emendi rem invendibilem, seu pretio enormiter excedente, & vi mutui præcisè.

445. Coll. 6. Maritum etiam sponte consentientem in adulterium uxoris, pati injuriam, cùm sit consensus jure nullus; tum quia caret omni legis favore; tum quia est ius mercè personale, consequenter ineptum, ut alterum constituat usufructuarium, vel usuarium. Neque per ordinem ad dandam alteri nudam facultatem usūs, ullâ lege, vel pacto munitur; neque ius prohibendi alterum est merum personæ privilegium; cùm ratio conjunctionis personæ sit ex vi Sacramenti quoad significationem Christi conjuncti cum vera Ecclesia.

Malè autem concluditur: maritus potest jure quæsito per matrimonium se privare quo ad solum usum, v. g. voto; vel etiam abdicare, matrimonio non consummato in religione approbata profitendo; ergo etiam potest cedere juri, quod habet, ne alter ipsius uxore utatur. Nam per 1. nihil fit contra naturam juris personalis, secùs per secundum.

446. Coll 7 ad hoc, ut aliquis actus sit injuria, sufficere, quòd sit violentus personæ non secundùm se, sed, ut instructæ tali jure. Quare satis est, quòd resistat voluntate juridicâ, esto

ad sit consensus non juridicus,

Coll. 8. Consensum clerici in actionem contra privilegium fori & Canonis, esse non juridicum, seu jure nullum, cum pars non cedat validè favorem concessum communitati, quâ tali.

ARTICULUS II.

Præceptum restituendi nec est
pure positivum, nec pure negati-
vum.

447. **N**aturali jure debitam esse restitutio-
nem, ubi non est ratio excusans, com-
munis docet. Ideo S. August: relatus c. 1. 12.
q. 6. *Si res aliena, inquit, propter quam peccatum
est, reddi possit, & non redditur, p&enitentia non agi-
tur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur, non
remititur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Hinc
Ferdinandus de Castropalao tract. 32. de just.
D. 1. p. 18. §. 1. n. 5. ad reparationem juris
læsi obligari nos docet *jure naturali*, de quo
nos infrâ.

448. Not autem ex S. Th. 2. 2. q. 62. a. 1.
restinere nihil aliud propriè esse, quam aliquem
sterato statuere, vel reponere in possessionem, aut do-
minium rei sua. Hinc latinè dicitur etiam *red-*
hibitio, & supponit jus alienum esse læsum vel
culpabiliter, vel inculpabiliter, quatenus inter
jus

jus passivum & activum inæqualitas posita est,
& per eam impeditus alter in usu rei suæ juxta
libertatis suæ legitimæ placitum.

449. In hac quæstione diversitas opinio-
num, quæ inter authores est de qualitate præ-
cepti restitutionis, orta est ex diverso usu hu-
jus termini: *præceptum negativum*; quâ in re cer-
tum est, non eoipso præceptum esse affirma-
tivum vel negativum, quod efferatur verbis po-
sitivis, vel negativis; quod enim dicitur nega-
tivè, potest enuntiari etiam positivè v. g. *non*
occides, & *vitam alienam illasam servabis* &c.

Quare cum communiori modo loquendi
sentio, illud præceptū esse affirmativum, quod
ex fine suo, principali, & directè intento re-
spicit positionem certi actūs positivi; quod ve-
rò actūs positivi omissionem, esse negativum.
Præceptum audiendi sacrum hac ratione est
præceptum positivum. Nam ex fine per se, ac
directè intento respicit auditionem sacri; reli-
qua, quæ prohibet, indirectè, tanquam impe-
dientia finem directè intentum. Quando au-
tem prohibemur odiisse Deum, finis per se, &
directè intentus est omissio talis odij. Hinc re-
liqua, quæ ad obtinendam hanc omissionem
præcipiuntur, indirectè solùm veniunt. His
positis.

450. Prob. Præceptum restituendi nec sem-
per intendit positionem actūs positivi, nec sem-
per

per ejus omissionem , sed quandoque hoc , quandoque illud ; ergo . ant. prob. quia finis , quem per se , ac directe respicit præceptum restitutionis , est , ablatio actus impedientis alterum in usu libero rei suæ (hunc enim prohibet justitia , & si contra justitiæ leges positus est , præcipit eum tolli) at ablatio illius impeditio- nis interdum habetur per actum positivum , in- terdum per omissionem actus positivi ; ergo . Min. prob. Nam quandoque justitiæ contra- venitur , seu ius alienum lœditur , *merè tacendo* , vel *non agendo* , quando quis vi Juris alieni agere , vel loqui tenetur ; sed eo casu impeditur quis in usu rei suæ per alterius omissionem ; ergo ut satisfiat præcepto , proximum non impediens , debet ponere actionem positivam , cuius de- fectu ius suum alteri impeditur ; econtra saepius fit , ut proximum in usu rei suæ impediatur per actionem aliquam positivam , u. g. *continuando detractionem &c.* ergo tali casu præceptum re- stitutionis , seu non impediendi proximum , ob- ligat ad omissionem illius actionis positivæ , ac impeditivæ ; ergo .

Confirm. nam universaliter illud præceptū prohibens directe intendit , cuius oppositum prohibet ; at præceptum restituendi prohibet impidire proximum in usu rei suæ , & hujus op- positum interdum habetur actione positiva ; interdum omissione actionis positivæ ; ergo præ-

præceptum restituendi directe intendit interdum actionem positivam; interdum ejus omissionem.

451. Dices: Justitia probibet impeditonem alterius in usu rei suæ; ergo id, quo tollitur hæc impeditio, seu actio impeditiva, est finis præcepti; sed tollitur omissione; ergo finis præcepti est omissio. At præceptum, cuius finis est omissio actionis, est pure negativum; ergo. & C. primum discursum, dist. min: subsum: sed tollitur omissione actionis impeditivæ, quæ semper sit actio positiva. N. interdum positiva, interdum merè privativa. C. min. dist. cons. ergo finis præcepti est omissio vel actionis positivæ, vel alterius omissionis. C. tantum actionis positivæ. N. cons. præceptum illud est negativum, cujus finis unicus est omissio actionis positivæ; non autem, cujus finis interdum etiam est omissio omissionis.

452. Ex dict. coll. i. malè dici, præceptum illud esse negativum, quod unum actum determinatè prohibet, & simul alias actus incompositiles cum actu prohibito indeterminatè præcipit. Hæc enim explicatio supponit, quod nullum præceptum prohibens impleri possit, nisi per positivam omissionem actus prohibiti, quod negatur; supponit enim, prohiberi semper actum positivum, cum tamen præceptum restituendi quandoque exigat actionem pos.
g.

tivam, eo quod prohibeat veram omissionem.

Hinc coll. 2 negandum esse, quod præceptum negativum indeterminatè præcipiat solo actus incompossibiles cum actu prohibito, cum etiam pura omissio quandoque incompossibilis sit cum actu prohibito; ut si quis prohibitionem violet actu positivo.

Coll. 3. Licet admittas, quod præceptum restituendi determinatè prohibeat actum, quo impeditur alteri libera facultas sua disponendi de rebus suis; non tamen sequi: ergo universaliter est præceptum negativum. Nam ille actus prohibitus non est semper actus positivus, sed quandoque pura omissio, ut si non loquaris, cum ex justitia loquendum esset.

453. Coll: 4. non converti simpliciter hæc duo: *alienum retinere*, & *non restituere*. Nam licet omnis rei alienæ retentio sit non restitutio; non tamen econtra. Qui enim merè omittendo læsit jus alienum v. g. *silendo*; quamdiu non loquitur, quod ex iustitia debet, non restituit: & tamen nihil propriè retinet alienum, nisi velis per metaphoram, quod omne non dare, vel non agere (quod jus petit) sit alienum retinere. Sed tunc in omni acceptione injusta erit obligatio ex re accepta, seu retenta, quod communiter reiicitur.

Hinc qui detrahendo læsit famam alienam, licet, quamdiu non retractat, tamdiu (ut vo-

lunt aliqui minus propriè loquentes) retracta-
tionem retineat , ipsissima tamen hæc retentio
retractationis est pura omissione retractatioñis, seu
quid merè privativum , cùm retractatio ipsa sit
aliquid positivum. Ex quo rursus vides , in da-
to casu , quando ex præcepto restitutionis fa-
mæ præcipitur retractatio , vel certè prohibe-
tur retentio ejus propter habendam retracta-
tionem , finem præcepti , esse quid positivum.

454. Coll. 5. Licet darem omnem juris læ-
sionem esse actionem positivam (quod tamen
negandum est ex n. 450.) adhuc tamen non
omnem continuationem ejus , consequenter
nec non restitutionem , semper esse positivam.
Nam prima læsio famæ facta positivè detra-
hendo continuari potest vel physicè (ut si per-
gas malè loqui) vel moraliter , purè omittendo
retractationem antè dictorum.

ARTICULUS III.

Naturalis obligatio restituendi
nascitur ex sola re accepta , vel injusta
acceptione.

455. **N**ascitur ex re accepta . Quia quamdiu
res aliqua subest juri alieno privativè
sumpto , cæteri gravantur , ne ipsum impedian-
tia libero ejus usu ; sed habens rem alienam a-
pud

pud se, & non reddens, impedit eum, in libero illius usu ; ergo quamdiu non reddit, agit contra jus alienum ; sed ad hoc non faciendum, datur obligatio naturalis ; ergo ex re accepta ad restituendum datur obligatio naturalis.

456. Nascitur ex *injusta* acceptione. Nam iniquum est, & contra justitiam, ut quis patiatur damnum in usu rerum suarum præcisè propter iniquitatem alterius ; sed hoc fieret, si talis non teneretur ad restitutionem, ergo. 2. Obligatio non peccandi non potest tolli peccando ; ergo nec obligatio non *damnificandi* potest tolli *damnificando*. Hoc autem fieret, si *injusta* acceptio non pareret obligationem restituendi. Prob. nam positâ *injustâ* damnificatione vel maneret jus alienum erga rem saltē in æquivalenti rehabendam ? vel non maneret ? si primum ? acceptor vi hujus juris gravatur ad redendum saltē æquivalens. Si secundum ? per *injustam* ejus damnificationem sublata fuisset obligatio, non *damnificandi* per *injuriam*.

457. Nascitur ex *sola* re accepta, vel *injusta* acceptione. Quia nemo tenetur restituere, quando verus dominus habet res suas, prout debet ; ergo solūm, quando non habet ; sed in hoc casu id provenit solūm ex duobus prædictis capitibus. Prob: si alter non habet res suas, vel hæ sunt apud alium, vel apud nullum ? quodcunque dicatur vera est minor. Nam si sunt a-


pud alium culpabiliter? erit obligatio restituendi ex iusta actione, & re accepta; si inculpabiliter? ex re accepta. Similiter, si apud nullum sunt, vel hoc est alius cuius culpâ? vel sine alicuius culpâ? si secundum? nulla est obligatio restituendi. si primum? obligatio est ex iusta actione; ergo.

458. Dices 1. Potest dari obligatio restituendi ex contractu, ut si quis alteri se obliget ad solutionem rei, esto casu fortuito pereat; hæc autem obligatio tunc non nascitur ex iusta actione (quia ponitur nulla intervenisse) non ex re accepta, seu inculpabili retentione alieni (quis ponimus rem non existere) ergo ex alio capite. R. N. ma: nam ea obligatio non est ad restitucionem; sed solutionem, vel traditionem affirmationis rei promissione pactâ debitæ, cum non supponatur jus alienum à te læsum esse, vel actione iusta, vel possessione alieni; ergo non est obligatio reparandi jus læsum; ergo nec restituenda cxii. 448.

459. Dices 2. qui pacto sc obligat, alteri restituere rem, vel pretium rei, si eam fur absulerit, tenetur restituere conditione positâ; sed non tenetur ex re accepta, vel iusta acceptance; ergo. Ma: pat: quia tunc jus domini læsum adhuc extat; ergo tua redditio est reparatio juris læsi. R. majorem veram esse, si promittens pactus est, quod in se recipiat obligatio-

tionem furis? non autem si præcisè pactus est, dare pretium. Sic enim adhuc læso manet jus adversus furem, & fur adhuc manet obligatus resarcire damnum; ergo à solvente pretium jus contra furem non est extinctum. Si autem in se recepit obligationem furis, tenetur ex iusta actione furis.

460. Dices 3. Dantur leges civiles, virtute quarum obligatur Dominus ad reparationem damni à suo mancipio, vel animali aliis illati, esto dominus in conscientia omnino inculpabilis sit, & nullum exinde fructum habeat; ergo. ant. constat ex Lib. 4. Instit. tit. 4. de noxalibus actionibus, & 9. si quadrupes. Idem habetur eod. lib. tit 3. de obligar ex L. aquilis. R. E-sparza cit. in fin. leges illas vel non obligare in conscientia; vel obligare solùm ad restitutio-nem latè sumptam, ideoque nihil nocere do-trinæ traditæ, quæ agit de restitutione proprié-tali.



QUÆSTIO XI.

De obligatione restitutionis ex re accepta.

CUm jam præmiserimus, ad quid teneatur possessor rei alienæ, sive bonâ, sive malâ fide-

fillam possideat, superest, ut dicamus, juxta
quem rei valorem restitutio facienda sit? no-
tandum autem, frequenter variari pretium rei.
Nam saepe fit, ut caro, v. g. hodie valeat gros-
sum, post mensē plūs, ac rursum post tempus,
minūs. Hoc posito quæstio est, secundūm quem
valorem fieri debeat restitutio à malæ fidei pos-
sessore (qui rem iniquè detinuit, vel absumpfit,
dum pluris valuit) si restituat, dum minoris est,
& pretium iterum decrevit?

S. I.

Si dominus eo tempore, quo res pluris erat,
eam alienâsse, vel absumpfisset cum lucro pre-
tij ejus temporis, quo iniquè à te detenta, vel
absumpta est, non satisfacis, reddendo
pretium, vel æquivalens pro tempo-
ra, quo res minoris est.

461. **I**ta Communis cum Lessio l. 2. c. 12.
n. 108. Nam sic per injustam actionem
tuam es causa, quod minūs dominus habeat il-
lud lucrum pretii majoris ex re sua; hinc tene-
ris ad lucrum, quod cessavit Domino, ex re de-
tentā injuste; secūs tamen est, si retentio fuit
ex bona fide.

462. Idem dicendum est, si res apud te, vel
evasit deterior, vel periit, non futura talis, nec
peritura apud dominum. Hujus enim damni
tunc

tunc causa est tua rei detentio injusta. Si vero nec dominus rem alienasset, nec consumpsisset tempore majoris pretii, sed servasset usque ad tempus, quo pretium decrevit, satisfacis reddendo rem eandem; vel si casu periit, secundum aestimationem hujus temporis. Nam ad aliud non teneris; *non ratione res accepta*; quia nihil aliud tunc de ipsius re extat penes te; *non ex iusta actione*; quia quae præcessit, solum postulat, reddi rem domino, quin et redditum in eo remaneat aliquod damnum juris laesi; sed hoc a te præstito, nullum remanet damnum, quia damnum præcedens fuit *carentia* hujus rei; ergo.

463. Dices: tu rem alienam eo tempore iniquè detinuisti, quo accepit incrementum; ergo propter iniquam detentionem contraxisti obligationem illud domino restituendi; prob. quia ad hoc tenereris, si incrementum domino separatim abstulisses; ergo etiam dum abs-tulisti connexum rei ablatae; utroque enim modo domini est; sed ex hoc teneris in antecedenti; ergo etiam in consequenti. *R. N. conf.* ad prob. dico, si cesset fine damno domini, quin tu sis iusta causa talis cessationis, in neutro casu reddendum esse, propter rationem datam in conclusione; sed sic cessare ponitur in casu; ergo.

§. II.

In casu, quo injustè rem alienam absumpisti tempore, quo pluris erat ab intrinseco, restitutio facienda est secundùm valorem illius temporis.

464. **I**Ta Lessius l. 2. c. 12. d. 16. n. 106. Rebell. l. 2. q. 5. Palaus. §. 9. n. 7. quia non tantum res ipsa, sed etiam ejus aestimatio nascentia ab intrinseco, domini est; ergo non minus eam debes domino, si eam injustè absumpisti, quam rem ipsam. Conf. Nam L. *re furtiva. ff. de condic. furtiva*, ad questionem, cuius temporis aestimatio fieri debeat, si res ex causa furtiva condicatur? *Rq. id tempus spectandum, quo res plurimi fuit.*

465. Respondet Layman. I. 3. summæ tr. 2. f. 5. c. 4. n. 5. id verum esse, si dominus illum lucrum percepturus erat, non autem secus. Sed probabilius haec limitatio negatur. Vel enim rem absumpisti civiliter, alieno do pretio? & sic res absunta extat apud te, in quo factus es editior. Vel destruendo aut sine lucro penes te remanente? & teneris ratione injustæ actionis.

§. III.

Idem sentiendum est in casu, quo res pluris erat solum ab extrinseco.

466. Sic

466. **S**ic Rebellus de Oblig. just. l. 2. q. 6. n.

N. Nam etiam illa aestimatio ab extrinseco domini est; & res suo domino fructificat, ubique sit. Et hoc probabiliter procedit, esto dominus illud augmentum non fuisset percepturus. Adhuc enim stat, quod rem alienam tanti valoris iuste destruxeris.

467. Dices 1. Vendere triticum v: g: hoc vel illo tempore, quo pluris est, est fructus meræ industriæ; ergo lucrum inde nascens est venditoris; at hic fur ponitur esse venditor; ergo lucrum est furis; sed lucrum illud est valor rei ab extrinseco (scilicet ex accessione talis temporis, in quod res à fure servata fuit, & vendita) ergo in tali casu non est obnoxium restitutio*nis.* R. ex n. 193. quod objectio bene concluderet, si ant: esset verum; sed ant. N. cuius ratio mox constabit.

468. Dices 2. Vendere in loco, quo pluris valet, est fructus meræ industriæ. per dicta super: ergo etiam vendere in tali tempore. R. N: conf. tunc lucrum, nascens ex re vendita in tali loco, censetur fructus meræ industriæ, quando tuā industriā res in tali loco constituitur, in quo pluris valet, non constituenda in illo per dominum; sic enim tuā industriā ponitur illud, quo res ab extrinseco habet majorem valorem, nempe existentia in tali loco; sed res non constituitur per te in hoc tempore, ut non fuisset in eodem, si

mansisset apud dominum; ergo luerum ex venditione rei in hoc tempore non est fructus tuus solius industriae.


469. Dices 3. qui mutuò accepit triticum, dum valet 15. satisfacit reddendo triticū ejusdem quantitatis, & qualitatis, esto, dum redditur, valeat solum 10. ergo à pari. *Ex N.* conf. quia antecedens est ex natura illius contractus de mutuo, ita, ut idem secundum speciem redatur decremento & accremento utriusque communis: sed talis contractus non intercedit inter læsorem, & læsum; & solum attenditur læsio, & damnum, tunc datum; ergo.

470. Hinc negandum est, quod satisfasias reddendo 10. dum res valet 10. si eam injustè consumpsisti, dum valebat 15. quia licet tunc reddas omnē utilitatem, quam dominus ex te tunc haberet, & habiturus fuisset, non redistamen totum, in quo cum damnificasti. Sic, si furatus es pullum equi, quem dominus venditus erat, tu vero servas, dum maturescat, & vendas robustum; non satisfasis reddendo pullum equi, omnino similem ei pro tempore, quo sublatus est.

471. Quæres ad quid teneatur? qui rem in dies crescentem, ante maturitatem, iniuste destruit? v. g. florent segetes, & incendis; tenerisne restituere secundum valorem, quem habent maturæ? vel secundum statum, quem habe-

habebant, dum destructæ sunt? hoc secundū affirmat Lessius l. 2. c. 13. n. 157. Sed Soto q. 6. a. 5. limitat, ut hoc procedat, tunc solūm, si destructio facta est **ex tua negligentia; non autem, si ex malitia.**

472. Verūm malitia damnum non auget, sed peccatum. Igitur Rx. Si dominus erat servaturus usque ad maturitatem, restituendum esse secundūm aestimationem spei, quæ erat de maturitate. Nam dominus non tantūm in re, sed etiam in spe injustè damnificatus est, esto damnificatus non sit in valore, quem habet res matura. Ut talis enim nondum fuit sub ejus dominio. Laym. l. 3. tr. 2. f. 5. c. 3. n.



QUÆSTIO XII.

De restitucione ex actione in- justa.

473. **D**iximus n. 456. ex actione injusta, & culpabili nasci obligationem resarcendi damnum alteri datum; sed dubitatur, an quæcunque culpa sufficiat? Not. autem *culpam* aliam esse *Theologicam*; aliam *juridicam*: per illam hic intelligitur peccatum mortale, vel ve- niale; per hanc, omissione alicujus diligentiae, in cavendo alterius damno requisita, quod fieri

potest & cum, & sine culpa Theologica; cum & sine dolo.

Omissio diligentiae, quam in ejusmodi actionibus communiter adhibere solent homines diligentibus in tali statu, dicitur *culpa juridicalata*; si hæc habeat coniunctum dolum apertum, est *culpa latissima*: si solum presumptum, est *culpa lator*. Est autem *dolus*, quævis calliditas, fallacia, vel machinatio ad circumveniendum adhibita; *calliditas* fit tacendo, *fallacia* mentiendo, *machinatio* arte verborum. Ita Less. cit. c. 7. n. 23. Omissio ejus diligentiae, & circumspetionis, quam adhibere solent diligentiores illius artis vel professionis, est *culpa levius*; & *levissima*, omissio ejus, quam diligentissimi, & prudentissimi.

ARTICULUS I.

Extra officium, & contractum,
nemo tenetur naturaliter, restituore da-
mnum, citra culpam, Theologicam alteri
secutum ex actione sua.

474. **S**ic Esparza de Jure & justitia q. 26.
Sprob. quia tale damnum sine omni culpa Theologica secutum, perinde se habet, ac si factum esset à natura, & casu fortuito; sed damnum tale non parit obligationem restitutio-
nis.

Nis. Quia non teneor alteri resarcire damnum ipsi secutum ex fulmine, vel inundatione, ergo. **Ma.** prob. quia damnum alteri secutum ex actione mea inculpabili Theologicè, respectu mei sit naturaliter, cum mihi non sit imputabile. **a.** quia sic innocens titulo actionis carentis omni peccato, æquè gravaretur, ac is, qui sciens volens commisit damnum; hoc autem repugnat æquitati naturali; immò bonorum divisione, qua cuique rerum suarum dominium ex divisione concessum est, nunquam prudentes præsumi potest, hoc titulo alios gravare voluisse; ergo.

475. Hinc inf. 1. si debitam circumspetitionem in aliqua actione tua omisisti citra omnem culpam Theologicam, & exinde secutum est damnum alteri, te in foro conscientiæ (spectato jure solùm naturali, & secluso speciali patto in contrarium, vel obligatione ex officio) ad nihil propterea teneri. Unde jure naturæ, in foro conscientiæ, extra contractum & officium, nulla nascitur obligatio restituendi ex culpa præcisè juridica, ut probatum est n. 474.

476. Inf. 2. damnum illatum cum ignorantia inculpata solùm comitante, naturaliter non obligare ad restitutionem. Less. cit. n. 46. Ubi vide casum de homicidio, facto à volente occidere inimicum, si esset, sed inculpabiliter putante feram esse; is enim immunis est à restitu-

tutione; quia operatio externa non processit
ex ea voluntate prava; sed ex ignorantia ca-
rente culpâ.

477. Inf. 3. non obligare naturaliter, da-
mnum secutum ex actione illicita & injusta, sed
factâ citra culpam Theologicam in damno, &
cum debita circumspectione. Sic Dicastillo. de
Just. d. 3. n. 70. hinc fur cum lumine ingressus
domum noctu, ut furaretur, & post debitam
cautelam, ne noceret lumine, casu incendens
domum, tenetur quidem restituere, si quid fu-
ratus est; non tamen damnum ortum ex in-
cendio, quia ponitur merè casu secutum.

478. Inf. 4. Licet ad hoc, ut ex solo delicto
contra justitiam, nascatur obligatio restituendi,
requiramus illud conjunctum *cum culpa*
Theologica; non sufficere tamen qualemcum-
que; sed debere esse talem, quae sit contra ju-
stitiam. Nam obligatio restituendi solum ori-
tur ex violatione illius virtutis, cuius ipsa resti-
tutio est actus; sed haec solum est justitiae stri-
ctæ actus, cum haec sola consulat damno, quo
quis impeditur in usu rei suæ in commodum li-
bertatis propriæ, caveatque ex hoc fine læsio-
nem juris alieni, quam aboleretur debet; ergo.
Sic Reginaldus in praxi fori pænitent. l. 10.
n. 65.

479. Dies. Ex data conclusione sequitur,
cum non teneri ad ullam restitutionem jure
na-

naturali, qui voluntariè accenderet *domnum Paulum*, vel occideret Paulum, invincibiliter putans esse *domum Petri*, vel esse Petrum, suum hostem; prob. nam Petro non tenetur, quia illum in effectu non læsit, sed tantum in affectu. Solus autem affectus, carens effectu, non inducit obligationem restituendi; sed nec tenetur Paulo, quia illum læsit invincibiliter; ergo.

480. *N* seq. & dico eum teneri *Paulo*; hunc enim effectivè læsit; cum tota quantitas damni sit læsori voluntaria. Eam enim dominum determinatè voluit comburere, & cum determinatè hominem occidere, quem hic oculis cernebat; & in hoc non erravit, licet in eo erraverit, quod damnum sit hujus, vel illius. Sic certum est, quod Petro teneat famam restituere, si ipso transeunte dicam, *hic homo est adulterer*, esto putaverim eum, qui transit esse Paulum, quia tota detractio mihi fuit voluntaria.

ARTICULVS II.

Qui grave damnum intulit alteri, cum culpa Theologica solum levi, non obligatur naturaliter sub culpa gravi, resarcire totum damnum, extra contractum & officium.

481. **Q**uestio est in hoc, an jure naturæ sit obligatio restituendi ex delicto, quo-

quoad totum grave damnum, quod quis intulit per actum Theologicè malum, sed solum leviter ex defectu plenæ deliberationis, sufficientis ad culpam mortalem? Triplex est sententia 1. docet illum ad nihil teneri. 2. teneri ad totum. 3. ad partem solum levem, juxta mensuram culpæ. In hac quest: ubi authores mirè variant; dicendum eum non teneri sub gravi ad rasarsiendum totum damnum, si rei acceptæ nihil apud eum extet, etiam in fructu. Videtur esse Molinæ d. 698. contra Dicastillo, cit. n. 51. ubi docet, quod, si damnum sit datum per peccatum veniale, ob indeliberationem, erit peccatum mortale non restituere. Sed communior est nostra sententia, ut tenet Sanch l. 2. c. 23. n. 160. Lug. de Just. d. 18. f. 2. n. 37. Esparza de Just: q. 32.

Ratio est, quia repugnat æquitati naturali, *vis delicti* par onus imponere, delictis omnino inæqualibus; sed hoc in præsenti contingere; nam is, qui tantum venialiter deliquit intuitu sui delicti haberet idem omnino onus (*restitutio*nis *sub culpa gravi*) quod is, qui fecisset idem damnum sciens, volens cum plena deliberatione.

482. Dices 1. in dato casu totum illud damnum illatum, est culpabiliter voluntarium; ergo est obligatio restituendi totum; sed totum est grave damnum; ergo obligatio est ad grave damnum; at obligatio ad materiam gra-

vem est gravis; ergo. q. cum dist: est culpabiliter voluntarium cum deliberatione plena & perfecta. N. semiplenâ & imperfecta. C. ant. N. cons. Si enim hæc voluntas solùm venialiter mala, & imperfectè libera circa totum, ex vi & intuitu talis voluntarii imponeret obligationem, restituendi totum sub culpa gravi, idem onus haberet delictum leve intuitu suæ levitatis, quod haberet grave intuitu gravitatis, quod est iniquum.

483. Illa propositio: *quando datur aliqua obligatio ad materiam, quæ gravis est, eo ipso etiam obligatio gravis est, est universaliter falsa.* Nam centum aurei sunt materia gravis secundùm se, & tamen possunt esse objectum, seu materia obligationis solùm levis; ut si voves daturum te Ecclesiæ 100. aureos, expresso animo, te non obligandi nisi leviter. Obligatio enim, quæ nobis voluntaria est, in materia omnino nobis libera, sine alia suppositione totam vim suam habet à libera voluntate illam sibi imponentis; ut constat ex communi doctrina Casistarum; nec ultra extenditur, quam vovens velit; ergo.

484. Dices 2. falsum est, quod onera delictorum inæqualium non possint esse æqualia. Nam sæpe delicta inæqualia puniuntur cædem pœnâ v. g. excommunicationis majoris. q. dist. ant: delictorum inæqualium secundùm quid. C. inæqualium simpliciter. N. in allata probatio-

ne duorum delictorum, quæ puniuntur æqualiter, excommunicatione majori, ambo sunt peccata mortalia, non autem unum veniale, alterum mortale. Igitur sunt simpliciter æqualia, & inæqualia tantum secundum quid, scilicet in gravitatis intensione. At peccatum mortale & veniale sunt inæqualia simpliciter; ergo. Deinde ratio nostra procedit de oneribus ex natura aetui, non de oneribus, seu poenis voluntariis, quæ infliguntur a Rep. vel lege intuitu boni communis ad vindictam publicam. Nam in his gravitatem poenæ quandoque auget necessitas aliis exemplum statuendi, ut a similibus arcentur.

485. Ex data conclusione probata inferes, quod nec sub peccato veniali teneatur laesor in eo casuad resarcendum totum damnum grave. 1. quia sic inæqualium delictorum adhuc æqualia forent onera quoad rem præstandam intuitu delicti. 2. quia sic daretur moralis obligatio perfecta respectu totius obiecti solùm imperfectè, & secundum quid liberi, ut ponitur; sed obligatio perfecta circa objectum solùm imperfectè liberum nasci non potest ex actione operantis, cum obligatio ex actione culpabili non nascatur ex ea, nisi in quantum liberum: at ~~operatio circa totum damnum~~ est illi libera solùm imperfectè, & obligatio sub culpa veniali restituendi totum, est obligatio moralis perfecta; ergo.

486. Sed

486. Sed contra hoc dices I. s^epe datur obligatio gravis, quando materia est levis; ergo etiam dari potest obligatio levis, quando materia est gravis. Ant. pat. nam pone unum aureum esse materiam gravem, & quidquid est inferius aureo, esse materiam levem. Is, qui furatus est aureum, tenetur graviter, ad restituendum aureum. Iam sic: talis satisfacit restituendo grossum; ergo materia, circa quam obligatur graviter, est grossus; sed hic est materia levis; ergo; ant: pat: quia restituto eo grosso, materia non restituta non manet aureus; ergo non manet materia gravis, ergo obligatio restituendi, quae remanet, non est gravis; ergo satisfactum est obligationi gravi restitutione grossi; ergo materia, circa quam erat obligatio ut gravis, erat ille grossus.

487. R^g. S^epe dari obligationem gravem ad materiam secundum se levem, sed ut est objectum obligationis, formaliter gravem. In dato casu est obligatio gravis ad diminuendum damnum grave, consequenter illud est formaliter objectum, quod est terminus obligationis gravis diminuendis a gravitate; sed hoc non est grossus secundum se ac materialiter sumptus (sic enim non est grave damnum) bene tamen totus aureus, seu grossus formaliter cum aliis conflantibus aureum; sic autem non est quid leve; ergo grossus sumptus formaliter, & ut terminus

obligationis gravis non est quid leve ; ergo obligatio gravis non est ad aliquid leve formaliter.

488. Sententiam nostram etiam tenet Tamburinus l. 8. in decal. tr. 5 c. 2. § 5. n. 3. extendens hoc ad casum , obligationis ex officio. Unde plurimos inde casus resolvit ibi vindendos. Inter eos est , famulum , qui propter similem advertentiam solum semiplenam peccavit solum venialiter , relinquendo fores domus apertas , unde fures domum expilent ; & , cum , qui per ejusmodi inadvertentiam solum venialiter malam laesit graviter famam proximi , non teneri graviter ad restitutionem. Sed primum intellige , spectato jure naturae ; secundum verò , quantum est ex actione injusta.

ARTICULUS III.

Qui grave damnum intulit alteri cum culpa Theologica , sed levi tantum , extra contractum , & officium , obligatur naturaliter , sub culpa tamen levi , ad resarcendam partem damni , juxta mensuram culpæ.

489. **S**ic Haunoldius de Just. tr. 2. n. 194. Ratio est 1. Quia alias per unius iniquitatem , posset ex toto auferri jus alterius. Sic enim laesus nec haberet jus ad rem ipsam , nec ad

ad actionem læsoris, idque ex præcisa hujus ini-
quitate. Hoc autem admitti nequit ex dictis ;
ergo.

490. 2. Quia naturalis æquitas postulat, ut
quis, quantum per iniquitatem suam juris alie-
ni liberè læsivam voluptatis habuit, tantum ha-
beat incommodi ; sed voluptas illa liberè ad-
missa, in casu posito, fuit tantum levis (atten-
di enim debet damnificatio *ut libera operanti*)
quia ponitur tantum secundum quid, & imper-
fectè libera ; ergo.

3. Quia sic onus nascens ex delicto, non est
inæquale delicto, attentâ solâ naturâ rei. 4.
quia damnum grave datum cum plena delibe-
ratione, obligat ad resarcendum totum ob-
plenam advertentiam : ergo ad partem solùm
levem datum cum advertentia solùm levi, &
semiplena.

491. Dices 1. ex dictis sequitur, quod nec
sub veniali teneatur ad partem levem; nam ob-
ligatio sub veniali est *obligatio perfecta*, & tamen
voluntarium in hoc casu est solùm imperfectum.
R: N. ant. ad prob. dico levem illam volunta-
tem (cuius intuitu dico dari obligationem sub
veniali ad partem levem) circa hanc esse plenè
voluntariam. Nam omnis obligatio ex culpa
veniali ob deliberationem imperfectam, est
plena & perfecta circa partem, sicut omnis cau-
fa partialis circa totum effectum, est totalis

circa unam ejus perfectionem formaliter.

492. Dices 2. semiplena indeliberatio est insufficiens ad inducendā obligationem moralē etiam levem , sed in hoc casu ponitur talis indeliberatio ; ergo. Ma: pat. 1. qui cum deliberatione solūm semiplena vovet totum rostrum, nec sub veniali tenetur ad partem 2. Indeliberatio aufert malitiam moralē, quæ alias fuisset; ergo multò magis onus restituendi. 3. Furans , implicitè se obligat ad restitutionem; ergo tenetur quasi ex contractu. Ant. pat. omnes homines habent voluntatem,quā volunt æternū esse felices, consequenter implicitè volunt, quidquid ad eum finem est necessariū ; at supposito delicto furti necessarium est restituere ; ergo.

493. Rx: dist: ma: est insufficiens ad inducendā obligationem moralem,pendentem aliunde,quām à sola voluntate obligati. N: à sola voluntate obligati. C. ma. dist. min. at ponitur talis indeliberatio , sed non pendens à sola voluntate obligati C. & simul pendens à sola voluntate obligati. N. min & cons Omnis obligatio merè voluntaria , quam scilicet suā sibi propriā voluntate imponit aliquis (ut est in votis , matrimonio,professione religiosa &c) requirit liberum perfectum , vel ex dispositione legum , vel ex ipsa voluntate se obligante,non intendente scilicet se obligare , nisi adsit liberum plenum , quod alias Deus tale obsequium non

non acceptaret. At obligationes aliunde nascentes, lege, vel simili, attendunt rationem culpæ, & secundum ejus mensuram determinant quantitatem obligationis; in hoc autem casu est culpa tantum levis; ergo incumbit solum pars levis restituenda sub culpa levi.

494. Ad 1. prob. trans: ant: quia voti obligatio pendet à sola voluntate obligati, acceptata à Deo. Est enim ex promissione Deo facta. Deus autem non acceptat promissiones indeliberatas, cum velit cultum perfectè liberum. Ceterum, si quis voveret aliquid sub conditione delicti, v. g. ebrietatis, etiam indeliberatè admissæ, votum teneret conditione positâ.

495. Ad 2. retorquetur argumentum. Indeliberatio aufert malitiam gravem; ergo etiam obligationem restituendi materiam gravem 2. non aufert malitiam levem; ergo nec obligationem restituendi materiam levem. Hinc C. ant. N. cons.

496. Ad 3. R. N. ant. quod vi voluntatis furandi se etiam implicitè obliget ad restituendum; ratio in probationem allata id non evincit de voluntate; sed tantum, quod per furtum factum ponatur conditio, quâ sit absolute voluntas, quamvidetur habere omnes homines, quod scilicet velint omnia impedimenta salutis tollere, si quae forent, qualis est voluntas non restituendi furto ablata; at in hoc nostro

casu, nolle restituere materiam gravem ablatam cum culpa solum veniali ex imperfectione actus, non est impedimentum salutis, cum, ut dixi, non cadat sub obligationem gravem; ergo.

ARTICULUS IV.

Gravis obligatio restituendi frequenter nascitur ex damnis solum minutis.

497. **H**Æc materia frequens est, sed intricata, & sub variis circumstantiis varia; unde multi volunt posse nasci gravem obligationem restituendi, etiamsi nullum præcessit furtum graviter malum, sed merè levia, etiam casu, quo nihil amplius extat de rebus acceptis, idque sine ulla culpa gravi commissa, vel in acceptance, vel assumptione. Hoc evenire potest in mercatoribus per vices numerum & numerum fraudantibus; in ancillis & famulis, cum vel mittuntur ad nundinas, vel curam habent victualium, in cauponibus utentibus mensurâ breviori, &c. &c.

§. I.

Qui deliberatè proponit per minuta furta, sensim obtinere gravem summam, per singulas acceptiones graviter peccat.

498. Sic

498. **S**ic Escobar Theol. mor. l. 34. n. 52.
Squia deliberatè velle, sibi habere materiam gravem, alieno juri debitam, est graviter malum; hinc quoties finis intentus est graviter malus, etiam ejus intentio libera est graviter mala; consequenter etiam quælibet ordinatio mediorum ad talem finem: acceptiones tamen illæ minutæ non sunt plura moraliter, sed unum peccatum grave furti. Sic Less. l. 2. c. 12. n. 4. contra Escobar cit. n. 54. quia, ut suppono, ex dictis in tract: *de vitijs, & peccatis, actus interni, qui exterius consummantur, non sunt peccata numero plura moraliter, nisi quando actus externi, in quibus consummantur, de se sunt opera omnino completa, & non dicunt ordinem ad invicem (sic impudici tractus & aspectus ordinati ad copulam, non sunt plura peccata carnis moraliter, sed unum numero, & sufficienter explicantur dicendo: exercui semel copulam fornicariam) sed ita in dato casu contingit. Nam omnes minutæ acceptiones ordinantur ad materiam gravem; ergo.*

499. Dices I. licet meretrix per integrum annum perseveret in mala voluntate exponendi se quæstui carnis, in confessione tamen debet dicere, si meminit, numerum, quoties fornicata fit; ergo etiam in casu nostro. *R. ant: videri mihi verius opposito; sed N. conf. quia plures fornicationes externæ sunt opera de se omni-*

no completa in ratione actus externi graviter mali: plura vero minuta furta externa non sunt furta de se completa in ratione furti externi graviter mali; ergo. Admitto tamen cum Lessio esse physicè plura peccata, immo etiam quodlibet eorum furtorum esse actum mortaliter malum extrinsecè & denominativè ab intentione moraliter mala, non tamen consummatà, nisi in materia gravi, ob quod, in genere moris, illa minuta furta physicè plura, solum sunt unum moraliter peccatum grave.

500. Dices 2. Si quodlibet minutum furtum eo casu est actus mortaliter malus, eo ipso erunt plures actus mortaliter mali, si sunt plura talia furta; ergo erunt plura peccata mortalia. **R.** N. cons. ex instantia n. 498. nam ibi sunt plures actus mortaliter mali (nimirum plures physicè) & tamen moraliter sunt unum tantum peccatum mortale; ut dictum est in tractatu de peccatis. Sunt ergo plures actus mali, sed unam malitiā gravi.

§. II.

Qui per minuta furta sine intentione acquirendi summam gravem, & advertentiā ad summam priorem, abstulit summam gravem,
per nullam acceptionem peccavit
graviter.

501. **S**ic Tamburinus in Decal. l. 8. tr. 2. c.
§. 3. §. 1. n. 2. Quia sic in nullo furto illi
pro-

proponitur obligatio gravis abstinenti. Ponitur enim non habere notitiam de gravitate materiæ; ergo in nullo graviter peccavit. Sed si ante ultimum furtum occurrat illi, quod si modicum adhuc acceperit, compleat materiam gravem, per illud ultimum furtum simul cum voluntate retinendi priora, peccat mortaliter. Ita Tambur. cit. n. 8. contra Navarr. in Manuali c. 17. n. 140 quia tali casu cum plena delibera^{re}tione, ut suppono, consentit in grave^{re} damnum proximi, quatenus vult accipere hoc, & retinere illud.

502. Dices 1. Sic ex 2. actibus solūm venialiter malis, fiet unum mortale. Nam ultima acceptio secundūm se est solūm levis; retentio prioris materiæ est etiam levis; ergo si ultima acceptio cum priori retentione sumpta est gravis, ex duobus peccatis levibus fit unum grave. R. N. ant. ad prob. N. suppositum, quod dicam ex illis duabus voluntatibus, quarum singulæ, scorsim sumptæ, sint leves, evadere unam gravem. Dico enim illum ipsum actum voluntatis ultimum esse gravem moraliter. Nam velle illud, physicè modicum, suppositâ advertentiâ prioris damni, non est velle modicum moraliter.

503. Dices 2. ergo sub gravi peccato tenetur restituere totum damnum grave. R. totum formaliter sumptum; sed non materialiter.

ter. *Totum formaliter*, scilicet tantum, ut non amplius maneat damnum grave; *non totum materialiter*, hoc est singula, ex quibus consurgit gravitas. Ita Card. de Lug. t. I. de Just. d. 16. s. 3.

§. III.

Qui sciens, ab aliis esse tantum ablatum per minuta furtam, si adhuc modicum auferat, completum iri damnum grave auferendo hoc modicum, non peccat graviter, nisi cum pri- oribus egerit communī consilio.

504. **I**ta Diana p. 2. tr. 2. resol. 41. Sanch. l. 7. decal: c. 21. n. 21. contra Bonacini de contract. D. 2. q. 8. p. 2. n. 5. Quia tunc non est causa damni gravis, sed levis; nam damnum ab ipso factum secundum se est leve; & licet, prout sumptum cum aliis, sit grave, ipse tamen non est causa vel physica, vel moralis, aut omnium, quae includit ut tale, vel totius.

505. Dices I. qui ponit partem, qua positâ resultat totum, est per se causa totius: sed hoc contingit in praesenti; ergo. R. cum dist. si ponat partem, quâ positâ per se resultat totum. C. ma: quâ positâ, solùm per accidens resultat totum. N. ma: non enim, qui producit albedinem, facit albū, sed qui unionem. Alias B. Virgo esset per se causa Christi existentis sub specie-

ciebus panis. Dicitur tamen vera Mater Dei, quia causavit physicè unionem hypostaticam, quâ positâ per se resultat homo Deus, seu Christus.

506. Dices 2. qui ponit leve vulnus, quo tamen absente non fuisset secuta mors hominis, prius ab aliis vulnerati, præsente tamen suppositis aliorum vulneribus, certò sequitur, peccat graviter; sed ita se habet in casu nostro; ergo. R. mihi omnino videri admittendum ant: quia tali casu vulnus illud secundùm se leve, non est leve moraliter *per ordinem ad effectum*. N. tamen conf. quia in ant: suppositis illis circumstantiis potest alter omnino rationabiliter invitius esse graviter respectu illius actionis secundùm se leviter vulnificæ, non autem in consequenti. Cujus ratio est, quia effectus in antecedenti est privatio vitæ, quæ est malum irreparabile à lædente; secùs in consequenti. 2. quia malum antecedentis opponitur bonis plurimùm superantibus bona fortunæ.

507. Si autem tu abstulisses illa, quæ in priori conclusione ponimus ablata per alios, addendo illud complementum, peccas graviter, si advertas ad priora, eo modo, quo diximus id fieri n. 498. ratio est eadem. Not: autem, quando dicimus, quòd acceptio rei levis, quæ suppositis aliis acceptationibus, cum his conflat materiam gravem, & peccatum grave constitu-

at, intelligi debeat, de furtis levibus, quæ sic fi-
ant, ut vel actus, vel eorum materiæ, possint in-
ter se uniri moraliter. Hinc si inter unum leve
furtum, & aliud leve, intercedat notabile spa-
tium (v. g. *quatuor anni*, secundum Rebellum;
unus annus, juxta Sanchez: 6. *mensis*, juxta alios,
teste Tambur: cit. n. 3.) posterior acceptio,
est ad advertat ad priorem, non erit gravis. Sic
enim ejus objectū cum prioribus non erit mo-
raliter unum, consequenter nec grave; & do-
mini non sunt rationabiliter inviti graviter. Et
hæc interruptio moralis etiam fit revocatione
prioris voluntatis.

508. Si denique, postquam complesti ma-
gnam quantitatem, & peccasti graviter, iterum
furoris minuta, hæc subsequentia furta, si ha-
beant se per modum complementi prioris ma-
teriæ: non constituant novum peccatum gra-
ve; secùs, si oppositum. Ratio primi; quia sic
pertinent ad priorem actum, ut ejus consum-
matio. Ratio secundi; quia sic sunt nova actio
in genere moris. Unde si fiat hoc novum fur-
tum cum scientia prioris damni gravis non re-
parati, graviter prohibitum est; ergo graviter
injustum. Ex quo sequitur, per minutias acce-
ptiones subsequentes, in dato casu memoriæ
prioris damni, semper peccari graviter, si priùs
non sit satisfactum.

§. IV.

Qui per sola furta venialia causavit alteri grave damnum, & sine gravi peccato plenè absumpsit, non habet gravem obligationem restituendi, *ex re accepta*.

509. **C**asus est; furatus es centies, semper unum grossum v. g. & tandem venisti ad summatum gravem, eamque absumpsistis sic, ut nec in acceptione, nec in absumpione peccaveris graviter, sed tantum venialiter, nec amplius de re illa extet apud te aliquid vel in se, vel in alio. Quæritur, an postquam advertis; illud cum solis culpis veniibus acceptum, & sic absumptum, fuisse materiam gravem, obligaris sub peccato mortali ad ejus restitutionem? Affirmativam sequitur E-sparza h̄ic. q. 32. Haunold: tr. 2. à 198. & ferre communis etiam recentiorum. Varii tamen varias rationes assignant, hujus gravis obligationis; quo posito dico in dato casu non esse obligationem gravem restituendi *ex vi solius re acceptae*. Nam casus ponit, quod *ex re accepta* nihil amplius extet; ergo per n. 455. ex hoc capite nulla est obligatio restituendi.

§. V.

In dato casu nec est gravis obligatio restituendi *ex vi præteritarum acceptionum præcisæ*.

510. **S**ic Tamburin. cit. tr. 3. c. 2. §. 5. n. 7.
Scontra suum Magistrum Josephum Acosta in M. S. de Justitia. Negatur enim, quod ex peccato veniali præcisè interdum nascatur obligatio restituendi sub peccato mortali. Ratio est ex n. 481. Deinde si occasione peccatorum tantum venialium nascatur obligatio gravis restituendi, nascitur ut summum ratione injustæ detentionis rei acceptæ, vel physiæ, vel moraliter extantis adhuc apud læsorem; sed in præsenti casu nihil horum est; ergo.

§. VI.

In dato casu nec est gravis obligatio restituendi ex vi contractus, vel consensus impliciti in pœnam delicti.

511. **S**ic Tambur: cit, contra Card. de Lugo
Scit. n. 7, quæ ratio est multorum. Verum sic jam ponitur alia radix restitutionis, quam præcisè ex vi rei acceptæ, vel solius injustæ actionis, quod tamen complures illorum negant, & contrarium constat ex n. 457. Deinde potest quis habere voluntatem planè oppositam illi consensui implicito, quando furatur. 3. videtur planè sine causa assumi; quis enim ex furibus cogitationem, vel animum habet, etiam implicitum, se obligandi ad iterum reddendum id, quod furatur? certè animus furandi non est

est animus restituendi , aut se obligandi, cùm possit de his nihil omnino proponi ; imò oppositum intendi.

512. Dices , voluntatem furandi non esse quidem etiam implicitè voluntatem se obligandi adrestitutionem ; esse tamen conditionem , quâ purificatur generalis voluntas , quam omnes habent conditionatam ad suam felicitatem , & consequenter removendi , quidquid eam impedit. Hinc evadit absoluta , & obligat absolute , quia non restitutio impedit salutem hominis. Verùm contra est 1. quia unde constat , quòd in hominibus detur talis voluntas , quâ velint se graviter obligare , etiam ad id , quod est graviter necessarium saluti. Cùm enim sit obligatio voluntaria & libera , quis coget ad unum præ altero ?

513. Contra est 2. dato , quòd detur ea voluntas generalis , quâ velint se graviter obligare ad omne præstandum , quod saluti *graviter necessarium* est ; at unde probas hanc minorem : *sed restituere, acceptum, & plenè absumptum sine gravi culpa, est saluti graviter necessarium.* Non probas id ex re accepta ; non ex culpa acceptio-
nis ; non etiam ex contractu , nisi aliunde o-
stendas talem restitutionem graviter præce-
ptam ; ergo . Dixi *dato* , quòd detur talis volun-
tas generalis. Nam cur non potest quis salu-
tem consequi , quin se obliget ad præstandum

aliquid, nisi hoc aliunde & independenter à sua voluntate sit graviter præceptum? At restitucionem in hoc casu talem esse, non probatur; ergo.

§. VII.

In dato casu nec est obligatio gravis restituendi ex eo, quod sit gravis obligatio, quoties materia levis obligationis sic additur materiae levis obligationis, ut tandem evadat materia gravis.

514. **N**AM hæc regula fallit 1. si materiæ leves inter se non uniantur moraliter v. g. propter longam temporis distantiam ab invicem, ut notavimus n. 507. Fallit 2. in casu, quem admittit Haunoldus, & Esparza, ut habes n. 489. Nam ipsi nobiscum admittunt, ex gravi damno dato alteri solùm cum culpa veniali ob imperfectionem actus non nasci gravem obligationem restituendi. Fallit 3. in obligatione nata præcisè ex delicto. Nam alias simpliciter inæqualium delictorum, essent æqualia onera. Neque verum est, obligationem esse gravem, quoties est circa materiam gravem. Ut dixi n. 483.

Deinde, illa obligatio gravis in hoc casu vel esset ex alio capite, quam *ex re accepta*, aut *injusta acceptance*? vel non foret? non ex alio capite, ut ipsi fatentur, cum doceant obligationem

restitutionis non nasci ex alio capite. Non etiam ex re accepta? quia ponitur nihil extare, vel in se, vel in alio. Non etiam ex iusta acceptione? nam acceptio ponitur solum leviter iusta; sed culpa levis non parit gravem obligationem restituendi ex n. 481. Hinc Leſſius l. 2. de just. c. 7, d. 6. n. 27. expressè habet: dico secundo: debere esse peccatum mortiferum commissum in damno dato, ne quis ex culpa (esto sit lata) obligetur ad restitutionem.

515. Fundamentum contrariæ sententiae in eo situm est, quod si plures materiæ leves leviter debitæ simul sumptæ faciant materiam gravem, obligent graviter, sed hoc contingit in præsent. casu, ut const. ergo; nam singula minuta furta leviter obligant ad reparationem damni levis. Ma: pat: 1. ex casu, quo quis quotidie per annum ad rationes (v. g. panem à pistori, semper in materia levi) acciperet, ubi obligatio quavis vice est solum levis, & tamen, quando panes accepti faciunt materiam gravem, obligatio solvendi est gravis. 2. in casu, quo alicui liberaliter promitteres hodie unum grossum, cras iterum grossum, & sic deinceps usque ad summam gravem. Hic enim ex qualibet promissione obligatio est tantum levis, & tamen omnes grossi simul sumpti pariunt obligationem gravem.

516. R. dist: ma: pariunt obligationem gra-

vem restituendi. N. tradendi, vel solvendi. transma: cum min: si res acceptæ moraliter uniantur, non autem si secùs. N. cons. Dixi. si moraliter uniantur. Hoc enim non contingit in nostro casu, utpote nullo intercedente contractu, qualiter intercedit in probationibus allatis. Prima probatio vim non habet. Ibi enim non est obligatio *restituendi*, sed *solvendi*, cùm non præcesserit ius læsum. Deinde minuta illa debita moraliter uniuntur 1. in contractu. 2. quia adhuc extant in pretio retento, quòd æquivalenter est *panis acceptus*. 3. in mente dantis. In secunda probatione similiter non est obligatio *restituendi*, sed *solvendi*. Non enim præcessit læsio; & res extat in promissione, seu retentione.

517. Sed dices: plures promissiones, quamvis leves, inducunt obligationem *solvendi* gravem, si earum materia conficiat quantitatem gravem; ergo plures injustitiæ leves inducunt obligationem *restituendi* gravem, si earum materia conficiat quantitatem gravem. R. 1. Si moraliter uniantur, trans: ant. secùs. N. ant. R. 2. dist: ant. inducunt obligationem gravem solvendipræcisè ex vi promissionum, quæ præcesserunt. N. ex alio capite, quod non est commune delicto. Trans. ant. sed N. cons. Imò invertò argumentum: plures promissiones leves ex vi promissionum, quæ præcesserunt, non inducunt obligationem gravem solvendi rem pro-

promissam, quamvis gravem; ergo plures acceptiones leves & injustæ ex vi acceptationum injustarum, quæ præcesserunt, non inducunt obligationem gravem restituendi rem acceptā quantumvis gravem; ergo si esset aliqua obligatio gravis, deberet nasci ex alio capite; sed aliud caput *restituendi* non est nisi res accepta, & hæc in præsenti non obligat; ergo. ant. autem constat, quia obligationes purè voluntariæ non extenduntur ultra intentionem promittentis, aut voventis.

518. Hujus ratio est, quia obligatio purè voluntaria unicè pendet à volūtate sibi sponte imponēte obligationē juxta sententiā longè probabilissimam, quam sequitur Tamburinus l. 3. decal. c. 12. §. 2. n. 3. & apud eum Suar. Sanch. aliique; hinc potest quis voto se obligare solū leviter etiam ad materiam de se gravem, quia voti obligatio unicè pendet ab intentione voventis, nec ultra illam se extendit. Vel ergo merè liberaliter promittens in nulla promissione, ne implicitè quidem, obstringit se graviter ad solvendum, si materia promissa e. vaderet gravis, vel certè se obstringit? si secundum? jam paritas non urget ad nostrum casum. Si non obstringit? non obligatur graviter *ut* promissionum præcedentium, quia sic materia de se gravis materialiter, non est gravis formaliter, *seu ut* promissa. Alias promissio purè voluntaria

Obligaret ultra intentionem promittentis.

519. Dices 2. in ant: est obligatio gravis solvendi ex alio capite; ergo etiam hic restituendi. & trans. ant. N cōs. Nam obligatio aliquid solvendi potest oriri ex plurib. capitib. & radicibus non communibus restitutioni; hæc enim habet tantum duas radices. quarum neutra adest. In ant. gravis obligatio nascitur jure naturali, nempe ex virtute fidelitatis. Nam recta ratio docet, quod facta debeant esse conformia verbis & promissis. Jus autem naturale non dictat, esse restituendum, *ex titulo rei accepta*, quando nihil alienæ rei possidetur; nec *ex titulo delicti solum levis imponendum* delinquenti par onus cum eo, qui deliquit graviter; ergo. Unde si valet paritas, deberet sic inferri. In promissionibus illis nascitur obligatio gravis *ex re promissa*, quæ est gravis; ergo etiam in nostro casu in illis acceptionibus nascitur obligatio gravis *ex re accepta*, quæ est gravis. At hoc negatur etiam per adversarios; ergo paritas non valet, quando res accepta nullo modo existat, ut ponitur in casu.

520. Dices 3. Si in dato casu *panis accepti per vices*, qualibet vice soluisses grossum ex empto debitum, & illum post solutionem qualibet vice rursum furatus esses, ac injustè absumperisses sic, ut in nullo vel furto, vel absumptione graviter peccasses, adhuc tamen graviter ob-

ligatus fore, ad totam summam gravem restituendam. *R*: Si in dato casu nihil eorum extaret, etiam in eo, quo factus esses ditior, vel non pauperior, N. ant. quia tunc nec urgeret res accepta, nec culpa, utpote non gravis; neque contractus, utpote qualibet vice extinctus, solutione.

521. Dices 4. Si per minutis, & solūm venialiter malas detractiones, fama tandem graviter læsa est, postquam hoc detractor advertit, graviter obligatur ad restitutionem famæ; ergo similiter in nostro casu. *R*: dist. ant. ex culpa injustæ actionis N. ant. si ponas, *famam non reparare*, esse moralem detentionem famæ. trans. ant. sed tunc obligatio gravis oritur ex re accepta moraliter extante apud læforem, ubi vides paritatem non habere locum.

§. VIII.

In dato casu nec esse gravem obligationem ex retentione; vel delicto.

522. **R**atio primæ partis est; quia res, quæ non est vel in se, vel in alio, non retinetur; sed in nostro casu gravis illa materia nec in se, nec in alio extat; ergo non datur gravis obligatio ad non retinendum. Ratio secundæ partis est, quia si foret ex delicto, deberet hoc esse grave, ut dictum est n. 481. sed, ut

ponit casus, de quo agimus, delictum non est grave, ut constat ex n. 509. ; ergo.

523. Neque per hoc, quod dicamus, re non amplius ullo modo extante, non obligari graviter ad restituendum illum, qui per mera furta venialia damnum intulit alteri, quod materialis simul sumptis est grave, admittimus eam propositionem universalem: *non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furia, quantumcunq; sit magna summa totalis, quæ propositio, prout jacet, est inter damnatas, & prohibitas ab Innocentio XI. 38. & videtur aliquando docta à Navarro, quil. 3. consil. in 1. edit: tit. de regularibus. c. 21. n. 3. dixit: nullus tenetur sub mortali peccato restituere aliquid illorum, que solum venialiter peccando furatus fuit.* Nam nos apertè sentimus, hanc doctrinam universaliter prolatam, falsam esse, docemusque teneri ad restitutionem eorum, quæ quis furatus est, solum venialiter peccando; si res adhuc extet. 2. si non extet, sed cum conscientia culpæ gravis absūpta est. 3. Si minuta illa furta processerunt ex animo sensim veniendi ad sumam gravem &c. Igitur non in illa latitudine docemus illam propositionem, sed tantum restringimus ad casum particularem, dicens, *vi delicti solum venialis non nasci gravem obligationem restituendi.*

ARTICULUS V.

De obligatione damnum resarcendi ex dispositione legis positivæ.

§24. **I**N jure Cæsareo dantur leges diversis iuris titulis comprehensæ, quibus datur actio contra aliquos ad reparandum damnum alteri datum, sine omni culpa Theologica, immò etiam quandoque juridica. Tales sunt obligationes, quæ vocantur *ex quasi delicto vel maleficio*, quæ contrahuntur ex damno alteri dato per res nostras nobis ignorantibus, & inculpatis, ut *ex imperitia*, & *negligentia nostra*, sed carente dolo, cuius defectu actus non propriè sit delictum. Sic tenetur Judex per imperitiam male judicans; vel is, ex cuius domo transiungi damnum datur, per effusionem, dejectionem &c. aut in cuius navi, caupona, stabulo damnum infertur per unum eorum, quorum operâ dominus navis, cauponæ, vel stabuli, utitur. Secundum genus est, obligationum illarum, quæ sunt ex læsione vel damno alteri dato, à servo, aut quadrupede nostro, & actio inde nata læso dicitur actio noxalis adversus dominum servi aut quadrupedis, quâ petitur, ut solvat noxam, seu pœnam inflictam a legibus pro tali damno. Tertium genus est ob-

obligationum nascentium ex L. *aquilia*. & L. 4.
ut videri potest. in Instit. tit 3.

525. Not: autem, inter has obligationes,
de quibus supra, quasdam esse, quæ imponunt
obligationem refaciendi damnum alteri fa-
ctum etiam citra culpam obligati, non modò
Theologicam sed sàpè etiam juridicam, quo
casu *reparatio damni* non est *restitutio* propriè,
cùm non supponat ius exigens reparationem
damni, titulo læsionis culpatæ, vel rei extan-
tis, in quibus unicè fundatur obligatio re-
stitutionis propriè sumptæ. Hinc ius alterius,
est ius exigendi alterius *reparativam actionem*,
sed non *restitutionem* strictè; his præmissis quæ-
stio est, an dictæ leges, & quando naturali-
ter obligent?

526. Dicendum 1. eas leges ante senten-
tiā Judicis non obligare in conscientia, si in
damno alteri dato non intervenit culpa Theo-
logica contra justitiam. Sic Haunold. cit. n.
172. Esparza hic. q. 26. &c. Prob. quia finis
illarum legum, consequenter intentio earum,
non petit aliter gravare conscientias, quàm
post judicis sententiam. Prob. quia finis illa-
rum est, *stimulare cives ad maiorem circumspetio-*
nem, & cauetam fortitarum damnificationum;
sed hic finis melius, & utilius habetur ex peri-
culo conventionis coram Judice, & pœnæ ab
illo definiendæ, quàm si ligarent ante hujus
sen-

sententiam. 1. quòd *melius*, quia certius. 2. quòd *utilius*, quia sine pluribus litibus, & controversiis; ergo.

527. Dicendum. 2. si quis per sententiam Judicis condemnatus est ad damnum reparandum ex dispositione illarum legum, eum in *conscientia teneri*. Sic Esparza cit. quia leges justæ ligant in conscientia, quoties datur casus, pro quo latæ sunt; sed illæ leges sunt justæ, & hìc ponitur casus, pro quo latæ sunt; ergo. Existimo tamen cum Haunold. cit. n. 178. quòd, si quis fibi verè conscius esset, nullâ suâ culpâ damnum evenisse, posset uti occultâ compensatione, si per Judicis sententiam condemnatus solvisset. Nam leges istæ, saltem Aquilia, fundatur in præsumptione culpæ. Leges autem pœnales, cuiusmodi sunt istæ, quæ fundantur in falsa præsumptione, nec post Judicis sententiam in *conscientia* ligant; ergo.

ARTICULUS VI.

De obligatione resarcendi damnum ex culpa in officio commissa.

528. **D**icendum 1. nullam culpam mercè juridicam, inferiorem enīpâ latâ, contra obligationem in officio commissam, sufficere, se-

secluso pacto speciali, ut ex ea præcisè quis obligetur naturaliter (hoc est in conscientia) ad restitutionem damni ex ea culpa secuti. Quia nemo constitutus in officio ex vi obligationis, quam habet, illud rectè administrandi, tenetur (secluso speciali pacto) ad aliam diligentiam, ac eam, quæ adhiberi solet communiter à diligentibus in tali statu; ergo si tenetur, tenetur ex culpa lata, idque solum, ut dicam in seq.

529 Dicendum 2. Si culpa lata in dato casu fuit tantum juridica, te etiam jure positivo non teneri ante Judicis sententiam. Ratio est ex n. 526 jure verò naturali, si non fuit conjuncta culpa Theologica, certius est, ad nihil teneri. Nam damnum tuo domino secutum ex omissione diligentiae in officio tuo vel aliquo modo tibi fuit voluntarium, vel nullo modo? si nullo modo? naturaliter secutum est, consequenter ad nihil teneris. Si autem aliquo modo? vel plenè, vel semiplenè? & utrobique commisisti culpam Theologicam, quo casu teneris secundum supra dicta.. Dixi, *secluso pacto*. Nam si hoc præcessisset, solvendum foret juxta conventionem, & legem initi pacti. Hinc deduces facilè, plurimos casus in particulari, quando ex negligentia in officio commissa restituere teneantur Confessarij, Advocati, Medici, &c.

ARTICULUS VII.

De obligatione resarcendi damnum ex culpa in contractu commissa.

530. **N**ota, quosdam contractus esse, qui cedunt in commodum utriusque contrahentis, ut *emptio*, *venditio*, *locatio*, &c. quosdam, qui in commodum solius obligati, ut *commodatum*: quosdam in commodum solius, cui alter contrahentium obligatur, ut *depositum*. In his attenditur maxime finis, quem per se contractus respicit. his positis.

531. Dicendum 1. jure naturæ neminem teneri de dāmno dato in re alterius, et si apud eum sit ex contractu, nisi ob culpam non inferiorem culpa levi juridicâ. Quia jure naturæ, etiam in tali casu, nemo tenetur ad majorem diligentiam, quam ad ordinariam; sed hæc ponitur adesse; ergo esto omiserit diligentiam ordinariâ majorem, non tenetur.

532. Dicendum 2. stando juri positivo, nasci obligationem restituendi etiam ex culpa levissima, propter dāmnum ex ea factum alteri in re ipsius, quæ apud te est ex contractu cedente in tuum solius commodum. Prob. ex L. in rebus commodatis. ff. *commodati*, ibi: talis diligentia præstari debet, qualiter quisque diligenter.

paterfamilias adhibet. Habetur etiam §. item is.
Instit. quibus modis in re &c.

533. Dicendum 3. eodem jure teneri te so-
lum ex culpa majori, quam sit levis, si res ex
contractu cedente in commodum domini a-
pud te existens damnificetur; habetur §. inte-
rea & is. Instit. quibus modis re obligatio contrahae-
tur. ibi: sed is (loquitur de depositario) ex eo
solo tenetur, si quid dolo commiseris. Ubi not. ibi
culpam latam intelligi per dolum, quando agi-
tur non de poena corporali; sed hoc contin-
git in praesenti; ergo. Ita gloss. ibid.

534. Dicendum 4: jure positivo te teneri
de damno dato in re, quae penes te est ex con-
tractu cedente in utriusque commodum, si se-
cutum est ex culpa etiam levi; habetur. § cre-
ditor. eod. ibi: placuit sufficere, si ad eam rem (ni-
mirum pignus) custodiendam, exactam (quam
scilicet solent diligentiores, non autem diligen-
tissimi, ut not. Gloss. ibi V. exactam) diligen-
tiam adhibeat, quam si prestiterit, & aliquo casu
fortuito rem amiserit, securum esse, ut etiam dici-
tur L. contractus. ff. de reg. juris.

535. Dicendum 5. de obligatione harum
legum discurrendum esse, prout universaliter
dictum est, n. 526. & seq. nam eadem utrobiq;
est ratio. Neque censendi sunt contrahentes
etiam implicitè se aliter obligare, quam hæ le-
ges postulent. At aliud non petunt, quam lo-
ciscit, dictum est; ergo.

536. Dicendum 6. si res, extans apud te ex contractu, pereat sine interventu ullius culpæ, sub qua teneris alias ad damnum resarcendum ex dispositione legum, te ad nihil teneri, nisi etiam pro tali casu expressè pactus sis. Nam sic res periit casu fortuito; casus autem fortuiti sunt extra humanam providentiam, consequenter sunt inculpabiles tam Theologicè, quam juridice. Hinc negandum est, quod docet Diana tom. 2. tr. 6. *resolut.* 10. damnum secutum, in contractibus utrique lucrativis, ex casu fortuito, inter ambos dividendum ex æquo. Sic enim sequeretur, quod si domum valentem mille conduxisse, solvere deberes 500. si casu fortuito (v.g. incendio ex fulmine) periret, quod caret omni fundamento.

537. Dicendum 7. in foro externo cum teneri ad restitutionem, qui rem pretiosam apud se habitam ex aliquo contractu, reliquit in periculo, quo interiit, ut suam salvaret viliorem. Nam tali casu præsumitur dolus. L. *quod Nerva.* ff. *depositi.* ibi. si tamen ad suum modum in deposito præstat, fraude non caret. Habetur etiam de commodity simile L. si ut certo ff. *commodati* §. nunc videndum. Et hoc verum est, si non potuit ambas simul salvare. Adhuc enim tenebatur rem domini utiliter gerere, recepturus ab eo premium rei propriæ, quam ejus causâ perdidit.

538. Dicendum 8. in foro tamen conscientia-

tiæ talem eo casu non obligandum, si revera scivit, se nihil à Domino recepturum pro ja-
cturâ rei suæ factâ, ut salvaret rem eius. Non enim tenetur quis cum suo damno curare bo-
num alterius, de jure.

539. Dicendum 9. conclusionem septimam non habere locum, si, ut salvetur res aliena, re-
linquenda foret in periculo propria æquè pre-
tiosa. Tunc enim illam præferendo suæ, non gereret utiliter negotium alterius, utpote in
casu facti obligandi ad compensationem æqua-
lem rei suæ salvatæ. Si verò ponas non obliga-
tum, uti revera non est, in tali casu, eo ipso non
tenetur ad hujus negotium utiliter gerendum
gratis, ergo.

ARTICVLVS VIII.

De obligatione resarcendi da- mnum ex errore datum.

540. **C**ausa est. Caius vult damnificare proxi-
mum v. g. vult illi frangere vitrum, sed
invincibiliter putat illud non plus valere, quam au-
reum (supponamus hanc esse materiam gra-
vem) cùm valeat 30. aureos. 2. invincibiliter putat,
valere tantum grossum, seu aliquid leve, cùm in re
valor sit gravis. Quæritur, an, si, ductus tali erro-
re, damnum inferat, satisfaciat restituendo tantum,
quantum ipsi fuit voluntarium, & secundum suam
estimati-

estimatiōmem ex illo errore? vel certè debeat restituē-
retantūm, quantum reipsa valebat? Dicendum 1.
cum satisfacere, reddendo tantūm, quantum
valet damnum reipsa illatum, quia tunc reddit
æ qualitatem cum jure alterius, prout est in se,
consequenter attingit medium rei, quod respi-
cit justitia.

541. Dicendum 2. eum in dato casu non
teneri ad damna, qua prudenter cogitare non
poterat, seu *non prævisa*. Sic Pallavicinus con-
tra Card. de Lug. Quia nemo tenetur ad da-
mnum secutum ex casu fortuito; sed damnum,
quod secuturum prudenter cogitari non po-
terat, eo ipso sequitur ex casu fortuito; ergo.

542. Dicendum 3. neminem invincibiliter
ignorantem actioni suæ, etiam graviter malæ,
annexum esse damnum tantum, vel tantum, si-
ve sit intrinsecum, sive extrinsecum, teneri ad
restitutionem ejus, nisi juxta mensuram, sub qua
operanti fuit liberum. Esparza hic q. 34. con-
tra Pallavic. affirmantem, si damnum sit intrin-
secum. Quia pro damno sic invincibiliter i-
gnorato non extat radix, quæ fundet obliga-
tionem restitutionis; *non res accepia*, quia po-
nitur non extare: *non delictum*. Nam circa da-
mnum invincibiliter ignoratum non potest da-
ri delictum.

2. Quia obligatio in tali casu plus incommo-
di, quam speretur boni, afferret; nam commo-

dum inde sperandum aliud non appetet, quām arcere homines à tali damnificatione involuntaria; sed hoc moraliter loquendo vix obtinetur, cūm rarissimē contingat, adhibitā, quæ debet, diligentia, ignorari pretium rei; contra damnum inde nascens majus foret. Nam tolerabilius est pati damnū casu factū, quām scienter solvere damnum sine culpa & ignoranter datum; ergo constitutione juris induci non debuit.

543. Dices 1. qui habuit animum graviter damnificandi v. g. in 100. esto *majus* *damnū* inde secutum ut tale sit invincibiliter ignoratum, verè habuit animum *lædendi* *graviter*; ergo jam incurrit quasi pœnam à natura taxatam, solvendi totum damnum re ipsa secutum. R: dist: ant. habuit animum *lædendi* *graviter* *secundum* *quantitatem cognitam* C. *incognitam*. N. ant. & cons. quia secundūm *quantitatem incognitam* in *lædente* nec est res ablata, nec delictum.

544. Dices 2. pœna etiam ignorata justè infligi potest ei, qui cum ejus ignorantia peccat; sed restitutio habet se per modum pœnæ; ergo. R: 1. ma: non esse universaliter veram. Fallit enim in pœnis medicinalibus; ut sunt censuræ. Fallit 2. si ignoras illâ lege, quæ pœnam imponit, actum esse prohibitum, licet sciæ eum aliâ lege prohiberi, quia tunc in illam legem pœnalem non peccasti.

R: 2.

R: 2. dist: ma: justè infligi potest, si sit proportionata delicto. Trans. secùs N. ma. hinc trans:min. dist. cons. ergo eo casu tenebitur ad restitutionem damni revera secuti, juxta proportionem delicti trans: secùs N. cons. Tunc autem est secundùm proportionem delicti, qnando est secundùm eam quantitatem, quæ fuit voluntaria.

545. Dices 3. qui proijcendo gemmam alienam, putans esse vitrum, solùm leviter peccat, voluntate suâ executivâ totū voluit proiucere, quod habuit, quidcunque esset; sed illud fuit gemma, cuius valor intrinsecus erat 100. aureorum; ergo licet peccaverit solùm venialiter, tenebitur ad totum valorem intrinsecum. Verùm sic teneretur, esto nec venialiter peccasset, adhuc enim fuisset eadem voluntas executiva. **R:** igitur N. ma. non enim voluissest proiucere, si scivisset illam esse tanti valoris.

ARTICULUS IX.

De obligatione refaciendi damnnum ex cooperatione positiva.

546. **C**oncausæ, seu cooperantes ad alienam damnificationem exponuntur hoc versu: *Jussio, consilium, consensus, palpo, reuersus, participans, minuus, non obstantis, non mani-*

festans. Ex quibus vides, præter executorem esse 9. genera personarum ad alienum damnum concurrere valentium, de quib. S. Th. hic q. 62. a. 7. sex priores dicuntur positivè; 3. posteriores privativè cooperari.

§. I.

Qui positivè cooperatur ad alterius damnum sic, ut, si ipse non fuisset, aliis idem fecisset, non excusatur à restitutione damni secuti.

547. **I**Ta Lessius de just. l. 2. c. 13. n. 2. contra Navarr. c. 17. n. 17. intellige, si verè influxit in damnum. Quia per hoc, quòd alius fecisset, non fit, quòd tuum v. g. consilium actu non influat, reclamante alterius jure; consequenter, quin sis vera causa damni. Hinc negandum est, quòd illa sola sit vera causa, quâ non positâ non poneretur effectus; nam etiam ea est vera causa, quâ posita effectus sequitur, cùm sæpè is poni possit à pluribus causis. Si tamen executor jam ita determinatus fuit ad damnificandum, ut esto nullius alius cum eo concurredisset, adhuc illud dedisset, tu positivè cooperans consilio non teneris, quia tunc actio tua inefficax est, & habet se mèrè materialiter, cùm effectus non sequatur ex tua determinatione.

§. II.

§. II. Jussio.

548. **J**ussio in præsenti significat *mandatum*, seu imperium, ut alteri damnum fiat, quod contingit dupliciter; primò explicitè v. g. *volo, ut hunc occidas*; secundò implicitè, *si signifiques, tibi gratum fore, si quis tale quid præstet.* Not: autem primò, mandatum inefficax reddi, si ante patratum maleficium revocetur ita, ut revocatio sufficienter innotescat mandatario. Nam efficacia pendet à voluntate mandantis, moraliter perseverante, hoc est, non revocata.

549. Nota 2. Ratihabitionem damni non obligare in conscientia ad reparationē damni. Nam ex ea non procedit damnum, tanquam ex causa influente, sed ad summum finaliter, ut si quis aliquid agat eo fine, ut tibi placeat, & ob id factum suum approbetur. Id autem, quod ex reg. juris in 6. dicitur: *ratihabitionem retro trahi, & mandato equisparari*, locum non habet respectu patrati operis, & obligationis restituendi, sed respectu contractuum, & poenæ in foro externo. Præteritum enim à mea ratihabitione causari non potest, his positis.

550 Dubitatur I. an si mandatarius exceedat limites mandati, ad restitutionem obligetur mandans? Rg: in foro conscientiæ non teneri, si excessus mandanti non fuit voluntarius cum culpa Theologica; quia pono de damno

nihil apud eum extare; ergo non tenetur hoc titulo; sed nec tenetur ex delicto, quoad excessum, cum ponatur non esse voluntarius; ergo. Si tamen excessus ille poterat facilè prævideri, & per negligentiam cautela mandantis omissa est, juxta mensuram culpæ Theologicæ in omissione commissæ facienda erit restitutio, in foro poli; quamvis in foro fori condemnandus sit propter præsumptionem juris de culpa lata, vel dolo.

551. Dubitatur 2. an mandans teneatur ad mandatario secuta damna ex mandati executione? Rq: non teneri, si mandatarius vel sponte se obtulit, vel æquo pretio conductus est; secùs est, si inductus dolo, vel coactione, & damnrum erat ex communiter contingentibus. Ratio est, quia in secundo damnum illi sequitur ex tua actione erga illum injusta, non in primo. Not. præterea, ut mandati revocatio mandantem deobliget à restituzione, requiri primò, ut eam mandatarius sciat esse feriam. Nam obligatio oritur ex mandato in re facto, & existente in mente mandatarii habitualiter, quæ habitualitas non tollitur, nisi revocatione mandati sufficienter intimatâ. Sic Escobar Theologiae moralis. L. 37. f. 2. n. 247.

§. III. Consilium.

552. **P**er consilium intelligitur non tantum
Pis, qui consulit, seu suader, ut alteri
damnum fiat ; sed etiam illé, qui ad hoc hor-
tatur, instruit, terret, minatur, dirigit &c. Sic
Tamburinus l. 8. decal. tr. 4. c 2 § 2. Not.
autem consilium ab aliquo dupliciter dari, &
accipi 1. solùm ad sciendam veritatem. 2. ad
sciendam utilitatem, & commoditatem. Sic
Escob. cit. n. 256. qui docet , consulentem
primo modo, non obligari ad restitutionem, si
consilium prius , quām alter ex eo sit operatus,
revocavit ; secūs , in secundo , quia consilium
non influit præcisè ratione pravæ voluntatis
perseverantis, sed propter vim motivam , quam
habet ab utilitate & commoditate proposita ,
& manifestat à consulente. Et in hoc consili-
um differt à mandato, quia hoc movet præcisè
ratione sui, non illud. his positis.

553. Dubitatur 1. an teneatur ad restitutio-
nem is , cuius consilio damnum fit , æquè futu-
rum , esto id non accessisset ? **R**: si executor ni-
hilominus eo consilio moveatur , teneri. Sic
Dicastillo. De just. l. 2. tr. 4. D. 4. d. 4. n. 8. sc.
cūs , si nihil inde motus sit ; quia sic in 1. non
autem in secundo casu , consilens est moralis
causa damni. Sed, quid si meo consilio tantum
causavi accelerationem damni ? **R**: non teneri
tunc ad substantiam damni (hanc enim non
consului) sed tantum ad damnum securum

ex acceleratione, quia hujus tantum causa
fui.

554. Dubitatur 2. an animo determinato
furari centum Petro, licet consulas, ut eidem
non furetur tantum? & affirmativa. Quia sic
objectum directum tui consilii est diminutio
damni, ad quod Petrus respectu tui consulen-
tis non est rationabiliter invitus; ergo tuo con-
silio non agis contra Jus Petri.

555. Dices; ergo volenti facere adulterium,
licet suadeo fornicationem. 2. volenti occide-
re, ut non occidat, sed tantum mutilet. 3. vo-
lenti furari mihi, ut accipiat potius ab alio. 4.
volenti occidere parentem, ut potius occidat
servum; & volenti furari a paupere, ut potius
furetur a divite, si non possis impedire majus
malum, vel idem, ut hic supponitur.

556. & 1. Si sermo sit de maiori & minori
malo comparatione ejusdem personae, cui vel
hoc, vel illud fieret, in dato casu licet suaderi
minus, ob rationem datam n. 554. Ita Vas-
quez quem cit. & sequitur Tambur. l. 5. decal.
c. 1. §. 4. n. 13. intellige, si alter sit omnino
determinatus ad alterutrum. Hinc concedo
secundam sequelam in object.

557. & 2. non posse idem dici, cum agitur
de diversis personis. Ita Sanch. l. 7. matrim.
d. 11. n. 24. quia licet occidere non parentem sit
minus peccatum, quam occidere parentem (cce-
re-

teris paribus) & consequenter hac ratione objectum proponatur, ut habens rationem minoris mali, ac offensæ Dei: adhuc tamen alter est rationabiliter invitus ratione tui consilii; ergo i[n]justè consulis. Hinc N. 1. & 4. sequelam in object. Nec enim ratio minoris mali facit, quod hoc casu non debeat esse invitus, quia potest utrumque abesse, & ob alterius malitiam non inducitur necessitas cedendi juri; alias deberes non esse invitus, quoties alter actionem i[n]justam erga te non exerceret sine peccato, ut scilicet caveatur peccatum, quod tamen non conceditur.

558. Ad 3. seq. in object. R. cum Sanchez, non licere; quia mihi non licet inferre damnū alteri, ut rebus meis consulam, si medium sit naturale, seu non liberum, & ex se non conexum cum alterius damno. Existimo tamen, licere dicere in genere, ut alibi quærat suum lucrum, non hortando ut faciat, sed solum dicens, quod alibi habeat ejus commoditatem.

559. Dices: omne comparativum supponit gradum positivum; ergo si suades peccatum minus præ majori, *suades peccatum*; at hoc illicitum est; ergo. Ita Sà V. peccatum. n. 8. R. C. ant. sed contra me nihil infers. Ego enim non dico, licet suaderi omissionem excessus, quem habet unum peccatum supra alterum *in malitia*. Qui enim dicit, *non fureris ceniū*, non di-

icit directè, furoris 50. Hinc id, quod in dato casu suadetur, est carentia furti tantæ malitiæ.

§. IV. Consensus.

560. **Q**uestio est, an teneatur ad restitutio-
nem, qui consentit in damnum alte-
rius inde secutum efficaciter? Hæc res apud
ministros publicos, consiliarios, senatores &c.
frequens exercitium habet. Propono rem in
casu particulari, ex quo resolutio fieri potest in
aliis. Casus sit iste: *Es consiliarius, & das tuum*
suffragium, seu consentis, ut subditis Provinciae v.g.
imponatur facienda contributio; vel hic eligatur,
aut promoveatur, alter demoveatur, quod tamen sci-
esse injustum. Quæritur an ex tali consensu teneat-
ris ad restitutionem, si damnum sequatur. 1. in casu,
quo concluditur per majora, & ante tuum con-
sensum, vel votum, jam præcesserunt irrevoca-
biliter majora? 2. si tantum revocabiliter? five
vota vel suffragia fiant occultè, five publicè?
his positis.

561. Dicendum 1. illum peccare, qui con-
sentit, ut subditis imponatur injusta contribu-
tio, vel causa injustè adjudicetur uni præ alte-
ro, esto sciat, pro eodem effectu jam præcessisse
majora. Ratio est clara, quia sic consentit in
rem injustam. Ita Diana p. 1. tr. 3. r. 16. Re-
bell. p. 1. l. 2. q. 14. n. 30. Tambur. l. 1. in De-
cal. c. 3. V. suffragium. Reginald. in praxi fo-
ri poenitentialis, tom. 1. l. 10 n. 105.

562. Dicendum 2. si concludatur per majora, quæ habent vim decidendi, & tu dedisti primò tuum suffragium, postquam præcesserunt majora irrevocabiliter, te peccare quidem, ut dictum est; sed in dato casu non teneri ad restitutionem, si prius nihil cum aliis contulisti. Sic Rebell. Diana, Tambur. & de Lugo. de just. d. 19. s. 1. n. 19. quia sic jam invenis damnum ab aliis plenè datum, & res irrevocabiliter finita est. Igitur tu non es causa damni. Dixi, *si prius nihil cum aliis contulisti.* Si enim secùs, eris concausa damni. Conclusio procedit, non tantum cùm scis præcessisse majora, sed etiam, cùm ignoras. Nam ignorantia vel scientia non facit, ut non præcesserit causa adæquata, ex qua efficaciter procedit damnum. Sic Molina d. 736. Lugo cit. n. 18.

563. Dicendum 3. Si in dato casu suffragia forent revocabilia sic, ut si tu resisteres, illi non consentirent in damnum, vel vota sua injusta revocarent, te peccare, & ad restitutionem teneri, si illis tuo suffragio accedas. Ita Vasquez apud Lug. cit. n. 17. quia sic in hoc casu es causa damni. Nam majora, quæ præcesserunt, non præcesserunt immobiliter, consequenter ab illis, ut talib. non existebat efficaciter damnum, ante tuam operationem.

564. Sed quid si consentio, cùm non sim certus, quòd sua injusta vota revocabūt, si ego ipsi con-

contrarium sentirem? & te probabiliter teneri ad restitutionem damno secuto; quia licet suffragia, quae ponuntur præcessisse, ad effectum damni sint sufficientia in ratione numeri, non sunt tamen efficacia, ut ipse effectus sequatur, nisi positâ non revocatione; sed hæc ponitur primò, postquam tu consensisti. Tunc enim primò existit influxus reliquorum suffragiorum inimpedibiliter; ergo.

565. Dices. qui concurrit ad damnum nondum positum, tenetur ad restitutionem, esto damnum illud positum fuisset sine ipsius consensu; sed qui consentit, quando præcesserunt majora revocabiliter, licet certus sit non revocaturos, esto ipse contrarium sentiret, ita concurrit; ergo. Sic de Lugo cit. n. 18. & C. ma. N. min. Nam si certum est, non revocaturos, majora jam præcesserunt irrevocabiliter vi certitudinis de non futura revocatione. Quare taliter certus non concurrit ad damnum nondum positum.

566. Petes, an peccet, & teneatur restituere, qui primus consentit in damnum alienum, certus etiam sine suo suffragio fore alia plura plusquam sufficientia. & affirmativè, quia aliud est, esse causam sine qua damnum fieret; aliud, esse causam, sine qua damnum non est factum. Sed hoc secundum contingit in dato casu; ergo. Ma. prob, quia sic damnum est revera ipsius

us effectus ; ergo est vera causa damni ; sed qui est vera causa damni, tenetur restituere ; ergo. Hinc ista propositio : *qui alium movet, vel inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem hujus damni illati,* est trigesima nona inter damnatas ab Innocentio XI. prout jacent.

§. V. Palpo.

567. **P**alpo, seu palpator in praesenti denotat eum, qui laudando, adulando, aut e- contra irridendo , vel alterius ignaviam arguendo est causa, ut is alteri damnum inferat. Et qui taliter est causa damni, vel directe (scilicet ex ejus intentione) vel indirecte, scilicet prævidens id secuturum ex actione sua, tenetur omnino ad restituendum, ut cum communi docet Tambur. l. 8. decal. tr. 4. c. 2. §. 3. n. 3. quia quoties alter ex tali laude, aut vituperatione motus damnum infert, laudans aut vituperans verè influit moraliter in damnum secutum ; ergo.

§. VI. Recursus.

568. **N**omine recursus hic significatur recepcionatio, securitas, vel defensio ejus, qui alterum damnificat. Tunc autem haec inducunt obligationem restituendi, cum influunt ad

dam-

damnum inferendum; influunt autem, cum ex his alicui praestitis ille movetur, inducitur, aut fovetur ad faciendum damnum.

569. Quæres, an advocatus teneatur ad restitucionem, qui furem in judicio defendit, ut pœnam capitalem evadat, esto sciat inde futurum, ut fur ablata non restituat, consequenter spoliatus bona sua non recuperet? Affirmat Molina. d. 733. Negat Cardinalis Lugo d. 19. de just. n. 1. quia quilibet licetè furi consulit, quod ipse fur licetè facit; sed quando contra furē criminaliter agitur, fur justè negat se furē, quando crimen non est saltem semiplenè probatum; ergo idem ei tunc etiam licetè præstat advocatus. Hinc non tenetur cavere damnum alterius, quia sequitur tunc solum per accidens, scilicet ex actione justa.

§. VII. Participans.

570 **P**articipans hic videtur significare cooperantem per actionem aliquam præviā, qua agens principale juvatur ad ponendā actionē damnificativā. Taliter cooperari videtur faber serarius furi faciens clavim adulterinam; famulus, qui portam domūs clam effringit, ut fur accessum habeat. Interdum etiam significant causam immodicatè coagentem injustæ damnificationi; quandoque etiam illum, qui partem habet ex re furtiva. Qualiter hi obli-

gen-

gentur ad restitutionem, resolvendum venit ex dictis, juxta variam participationis acceptio-nem, vi cuius vel Physicè, vel moraliter influis in alterius damnificationem.

ARTICULUS X.

De obligatione resarcendi da-mnum secutum ex cooperatione ne-gativâ.

571. **C**AUSA INJUSTA NEGATIVA ALICUJUS INJURIÆ est, quæ illam non impedit, cùm re-neretur ex justitia impedire: hæc causa est mul-tiplex, & ejus numerus comprehenditur illa parte versiculi, *mutus, non obstant, non manifestans.*

572. *Mutus* hìc dicitur, qui, cùm ex justitia (puta *officio, contractu &c.*) tenetur loqui, ta-cet; hæc res locum habet apud Consiliarios in tribunalibus justitiæ. *Pravides v. g. si veneris in consilium, ubi agetur de re iniqua, te incursum offensam, si stes pro aquitate.* Quæritur ergo, *an si tali casu taceas, vel à consilio te absentes, tenearis ad restitutionem damni secuti?* sed nota, dupliciter alicui posse competere ius suffragii. 1. ex offi-cio, cui onus dicendi sententiam annexum est, licet officium ex favore collatum sit 2. ex mero favore personæ, cui conceditur.

573. R. I. eum, qui tali casu se absentat, & ius suffragii habet ex mero favore facto per-sonæ,

sonæ, non peccare contra justitiam se absen-
tando, vel tacendo. Sic Lug. cit. D. 19. s. 2.
§. 3. n. 62. Quia non uti favore non est contra
justitiam (intellige favore merè personali)
potest tamen sœpe esse contra charitatem. ¶
2. idem dicendum esse, si cui jus suffragii datum
est in proprium ipsius communis odum, ut si sint
plures Patroni, ad eandem electionem, vel præ-
sentationem. Ratio est eadem.

574. ¶ 3. cum regulariter peccare con-
tra justitiam, si jus suffragii competit ex
officio. Sic Lug. cit. n. 66. Rebellus p. 1.
l. 3. q. 7. n. 9. Reginald. in praxi. tom. 1.
l. 10. n. 106. Quia sic facit contra obliga-
tionem, ad quam tenetur ex officio in bo-
num publicum collato, atque adeo ex contra-
etu tacito. Dixi *regulariter*, quando scilicet ab-
est causa excusans absentiam, vel silentium, aut
dissimulationem suffragii, qualis foret, si tri-
de timeretur grave damnum, vel adsint alii viri
boni, per quos æquè damnum caveri possit, vel
urgeat occupatio gravior. Ita Lug. d. 19. sect.
2. n. 67. aut si quis evidenter sciat, se frustra
acturum, imò adhuc odium & rixas incursu-
rum. Diana cit. p. 1. tr. 3. resol. 18.

575. Quæ dicta sunt, de silente seu muto,
cum ex justitia deberet loqui, cum propor-
tione dicenda sunt de non obstante, & non mani-
festante, cum ex justitia ad oppositum tenetur.
Nam si tenetur solum ex charitate, esto pec-
cet,

et, non tamen obligatur restituere. Hoc enim non oritur ex quounque peccato, sed ex peccato contra justitiam; ut alias dictum.

ARTICULUS XI.

De restitutione munerum.

576. **A**nton. Perez tr 2. de restitutione
A.D. 3. c. 10. n. 164. recte observat,
circa donationes non esse facile presumendum, eas liberaliter fieri Potest enim contingere saepissime, ut litigantes eas faciant coacti vexationibus Judicium, aut insinuatione desiderii munerum, *qua loco imperii haberri solent, & ex illa possunt litigantes timere, se non obtenturos causam justam, nisi munera offerant;* & tunc non est dubium, esse restituendi obligationem. His praemissis.

577. Universaliter dicendum est *acceptum, ut fiat opus ex justitia debatum, esse obnoxium restitutions.* Ratio quia sic, qui petit pretium pro debito ex justitia, reddendo tale debitum, non solvit integrè debitum; sic enim nihil reddit pro accepto pretio, quod ex justitia non debuit ante acceptum pretium. Quare sicut non satisfaceret debito integrè, qui cum debet 100. pro solutiōe præstanda, acciperet decem, (quia sic pro 100. solum redderet 90.) sic non satisfaceret debito, qui pretium accipit, ut

præstet, quod aliud debet ex justitia. Secūs est, si aliquid acciperent, ut præstarent aliquam operam, ultra eam, quam debent ex justitia.

578. Ex hoc coll. 1. cum Perez cit. Testem teneri ad restituendum, quod accepit, ut veritatem diceret, quia licet ex justitia non obligatur ad testificandum; ex justitia tamen tenetur testificando verum dicere, seu non mentiri.

579. Coll: 2 Quæstores, & depositarios Principum ex justitia obligari ad restituendum, si aliquid accipiant ab iis, quibus debita solvunt, cum ex justitia solvere debent. Nec juvat, quod donare videantur. Nam in casu insinuato n. 576. donatio præsumi non potest, sed potius coactio ex metu solutionis, tempore jure debito, non accipiendæ, nisi aliquid dent, vel solutori remittant, præsertim si mōræ prætendantur ex defectu mediorum, quæ in promptu adsunt, si partem remittant.

580. Coll: 3. Judicem post opus præstitum non teneri ex natura rei ad restitutionem ejus, quod accepit ob iniquam sententiam. Ita Perez cit. n. 162. quia qui dat ob turpem finem, facultatem habet transferendi dominium rei etiam sine ulla causa, & conditione. Et constat ex simili n. 18.

581. Dixi post opus præstitum. Nam, ante executionem actus illiciti, tenetur accipiens restituere id, quod datur sub conditione talis actus,
quia

quia tenetur ab ipso actu abstinere; & certum est, non posse, actu non fecuto, rem acceptam retinere; excipe, nisi res donata fuisset absolute eo animo, ut solùm alliceretur accipientis voluntas ad actum illicitum.

582. Not. autem ejusmodi Judicem non deobligari à resarciendo damno tum ei, cui per sententiam injustam nocuit; tum Magistrati, cui ex pacto debet, ministrare justitiam litigantibus. Hinc nota, non posse ministros justitiae à litigantibus, aut ab aliis apud ipsos negotium gerentibus, accipere quicquam ultra stipendium justum, assignatum à Principe per leges; intellige, pro actionibus ex justitia debitis. Quare si stipendium accipient ab ipso Principe, vel republ: ne quicquam accipient à litigantibus, nihil ab ipsis accipere possunt; et si accipient titulo officii, quod præstant, tenentur ad restitutionem. Eademque ratio est, si designatum sit per leges id, quod à litigantibus, & negotiantibus accipere debent, quia sic bis idem renderent, & reddendo actum jure debitum aliunde, non solverent integrè debitum, ut dictum est n. 577.

583. Coll 4. acceptum, ut fiat opus debitum ex alia virtute, quam ex justitia, non esse obnoxium restitutioni. Sic Bonacini d. I. de restit. q. 1. p. 3. Quia debere aliquid ex justitia est pretio estimabile; & illud non solvere, de-

bitori afferre potest plura damna. Teneretur enim ad restitutionem damnorum ex non facta solutione secutorum &c. &c. Hoc autem non est in casu debiti ex alia virtute, nisi præcesserit pactum.

584. Coll: 5. pecuniam pure liberaliter oblatam, ne fiat injuria vel danti, vel tertiae personæ, non esse obnoxiam restitutioni. Sicut enim potest absolutè donare, sic potest donare, ne sim injustus; sed in 1. casu pecunia sic donata non foret restitutioni obnoxia; ergo nec in 2. Dixi autem *pure liberaliter*; quod non stat, si daret ut premium omissionis injustitiae, vel animo captandi utilitatem ex re tertii utiliter gesta, &c.

585. Ex hoc Coll: 6. oblatum ad cavendam injustitiam respectu tertii esse restitutioni obnoxium, quando offerens ex charitate tenetur ab injuria liberare alterum. Quia sic non tantum eum, cui paras injuriam, sed etiam libera-torem conijs in eas angustias, ut non possit retinere suam pecuniam, sine violatione charitatis. Utrumque autem est contra justitiam; ergo.

586. Coll: 7. idem dicendum esse, in casu; quo is, qui eo fine tibi offert pecuniam, ut tertium liberet ab injuria, quam illi paras, sic offerat, ut liberatus ab injuria teneatur liberatori solvere pecuniam pro se expositam, tanquam uti-

utiliter ejus negotium gesserit. Nam sic is, qui, ut omittat injuriam, pecuniam recipit, per in-justitiam causat liberato damnum pecuniæ.

587. Coll. 8 rem donatam ad redimendam vexam, esse restitutioni obnoxiam. Nam red-imere suâ pecuniâ vexationem injustam, seu tradere pecuniam solùm ob eam causam, ut quis obtineat liberationem à malo sibi debitam ex justitia, idem est, ac rem suam emere suâ pecuniâ, cùm illa non possit aliter obtineri: cer-tum autem est, pecuniam à me datam furi, ut mihi meum equum reddat, non aliter obtainen-dum, esse restitutioni obnoxium; ergo etiam donatum ob eam solùm causam, ut redimatur vexa, est restitutioni obnoxium.

ARTICULUS XII.

De causis liberantibus à restitu-tione,

588. **D**upliciter hoc intelligi potest. 1. quæ sint causæ excusantes à restitutione simpliciter, quibus scilicet stantibus ad nihil te-neor 2. à restitutione secundùm quid, scilicet hic, & nunc facienda Domino. his positis.

589. Quæres 1. an, qui rem furtivam gratis accepit à fure, possit licet illam reddere furi, quando non est moraliter certus, quod hic ē-am restituet vero Domino? 2. negativè. Nam

cùm ratione rei acceptæ contraxerit obligatio-
nem restituendi vero Domino per omissionem
ejus actionis agit contra suam obligationem.
Ergo illicite facit. Sic Escobar Theol. mor. L.
37. c. 15. n. 116.

590. Quæres 2. an, qui rem furtivam emit
bonâ fide, debeat eam reddere Domino, nec
possit illam reddere furi? affirmativam tenet
Sotus, Ledesma, Covarruvias apud Escobar.
cit. n. 117. sed R. 1. si Dominus eam vindicet,
teneri, eam reddere, etiam cum jactura pretii.
Ità etiam Escobar cit. n. 149. quia res tua non
est, jactura autem pretii hìc non fit restitutione,
sed facta prius est, emptione *rei furtivae*.

591. R. 2. si Dominus ab eo non repetat,
emptorem illum licite rem reddere furi, ut su-
um pretium recipiat. Quia cum detimento
proprio, præsertim æquali, non tenetur quis
Domino conservare rem, quæ ad ipsum perve-
nit absque injuria Domino facta per tales em-
ptorem.

592. Dices: nemo licite potest rem alienam
constituere *in pejori statu*; sed hoc fieret in præ-
senti; quia res aliena apud furem est in pejori
statu, quam apud non furem. R. cum distin-
ctione, si cum meo damno constituta est in me-
liori statu citra injuriam à me factam Domino,
& in eodem fine meo nocumento conservari
non potest, N. secùs, transeat. Nam nemo ha-
bet

bet jus, me invitum obligandi ad conservandam rem suam cum meo detrimento in statu, ad quem ponendum ego non tenebar.

593. Si autem meum pretium facile recipebam, esto furi rem furtivam non redderem, saltem ex charitate tenerer Domino reddere, non furi, à quo illam difficilius reciperet Dominus; imò probabilius etiam ex justitia. Tunc enim teneor ratione rei acceptae, nec excusat periculum damni proprii, ratione cuius in priori negavimus hanc obligationem.

594. Quæres 3. quid dicendum, si quis rem furtivam emit malâ fide? Respondet Sylvester V. *Restitutio.* 3. q. 7. posse etiam tunc ab emptore rem furi reddi, ut emptor recipiat suum pretium; quia quisque potest sibi potius, quam aliis consulere, quando non constituit rem in pejori statu, quam fuerit ante suam actionem: sed hoc contingit in præsenti. ergo.

595. Negativam tenet Lugo hic D. 17. n. 37. & Turrianus, qui teste Diana. p. 2. t. 3. r. 4. & p. 5. t. 14. r. 87. vocat oppositam improbabilem, sed immerito. Ratio horum est. 1. quia sciens dedit pretium furi, consequenter injustè contra Dominum rei. 2. quia cooperantur furi tanquam socius injustæ actionis.

596. Judico tamen sententiam affirmantem esse probabilem. Sic Malderus *de restituzione* t. 14. c. 3. d. 2. & Diana cit. cum Escobar n.

152. quia talis emptor ratione rei accepta non renetur cum suo damno. In hoc enim convenit cum emptore bonæ fidei, qui etiam habet rem alienam, & postquam novit alienam, cum suo damno non tenetur eam reddere Domino. *Non etiam tenetur ratione iustæ actionis.* Nam iustus acceptor solùm tenetur ad faciendum, quod Dominus ex sua acceptione nullum damnum patiatur: hoc autem facit iustus emptor retractatâ suâ iustâ emptione. ergo.

597. Quæres .. an, cùm quis non potest restituere, nisi cum gravi suo damno in bonis fortunæ, excusetur à facienda restituzione sic, ut eam possit differre? negat Molina d. 754. affirmat Lessius l. 2. c. 16. n. 22. & 25. quia jus creditoris cùm ei constitutum sit vel lege, vel conventione, non videtur se extendere ad eum casum tanti damni, cùm hoc æquitati naturali repugner, quando creditor non æquè periclitatur.

598. Hinc meritò docet Castro-Palaus de just. comit. d. 1. p. 18. §. 3. licet differri restitucionem, si ob eam à parente suo faciendam filiæ se prostituerent, vel filii vitam indignam agere cogerentur v. g. prædari. Hinc univer. sim à restituzione, vel omnino facienda, vel saltem cum dilatione, excusat. 1. quando debitor verè non habet, ut solvat. 2. quando, si solvat, fieret extremè indigens. 3. si fieret ita

graviter indigens, ut caderet de statu suo, in quem ascendit bonâ fide. Vide Tamburinum l. 8. t. 4. c. 1. §. 9. n. 4. hæc intellige, nisi creditor, ob defectum solutionis sibi debitæ (saltem *ex delicto*) per dilationem par damnum subiaret. Dixi *si fieret extremè indigens*. Nam de hoc casu quæri potest, an qui in extrema necessitate rem alienam sibi usurpavit, & restitutionem distulit, transactâ necessitate domino reddere debeat, si quid ex re alienâ supersit? & *R.* affirmativè, quia usus rei alienæ, titulo extremae necessitatis concessus est, in quantum necessarius est illi necessitati sublevandæ; ergo transactâ necessitate, res aliena tuo usui eo titulo competere non potest; ergo domino reddenda. Si autem res aliena in remedium sublevandæ necessitatis extremae absunitur, non extinguitur obligatio debiti, nisi aliunde non habetas, nec speres, quo debitum solvas. Nam hoc casu probabilius est obligationem extinguiri, esto rem illam alienâ habueris (ante necessitatem) *ex delicto*. Nam casus extræ necessitatis facit, ut res aliena, in quantum necessitati extremae sublevandæ necessaria est, aliena esse desinat.

599. Quæres 5. an quis ab onere restituenti liberetur *cessione bonorum*. *R.* quod Cessio bonorum, sit juris privilegium, seu beneficium, quo debitores, qui propter debita civilia conveniuntur, ac detrudendi forent in carcерem, dum

dum solvendo non sunt, possunt cedere bonis suis, ea juridicè tradendo, ut creditoribus inde, quantum fieri potest, satisfiat l. i. C. qui bonis cedere possint.

600. Is, qui sic bonis cessit, duo privilegia consequitur. 1. quòd à carcere liberetur, nec amplius molestari possit l. 4 §. *Sabinus, ff. de cessione bonorum.* 2. quòd si postea rursum aliqua bona acquirat, non spolietur omnibus illis, sed tantùm conveniatur, in quantum commodè facere potest, relictâ illi parcâ, sed congruâ sustentatione. ut dicitur l. 4. cit. cum 2. seqq. Hinc acquisitio futurorum est utilitas cessionis. Sic Haunold. cit. n. 439.

601. Si quæras, an, qui cessit bonis publicè, & modo, quo solet interdum fieri, ignominioso, omnino liberetur à solutione, licet deinde venerit ad fortunam pinguiorem? affirmativam tenet Th. Hurtad. p. 2. mor. tr. 8. c. 4. r. 35. n. 433. Nam illa ignominia subit vicem perfectæ solutionis. per L. ult. C. de in jus vocand. & argumento sumpto ex Gloss. in C. *sicut dignum.* §. eos insuper. de homicidio.

602. Verùm sententia negans communis est teste Palao tr. 32. d. 1. p. 17. §. 1. n. 4. Nam sic creditores punirentur jacturâ debiti, quod est contra æquitatem. Et ratio est, nam tota ratio illius beneficij sumpta est ab impotentia debitoris; & illa ignominiae signa solùm addun-

duntur, ne tales cessiones cum damno reipublicæ passim intententur: in textibus autem citatis, ubi dicitur: *quod pœna corporalis pecuniaria subrogatur*, solum sermo est, quando debitum pecuniarium est pœna à Judice imposta ob delictum sive fisco, sive parti applicandum.

603. Præter hæc not. 1. pœnam incarcerationis hic solum intelligi de illis debitoribus, de quibus non sat̄is constat, an sint solvendo? qui enim notoriè solvendo non sunt, incarcerari ob id nequeunt, quia non sunt contumaces. Sic Haunold. de Just. tr. 2. n. 434.

604. Not. 2. personas privilegiatas in hoc casu habere electionem inter carcerem, & cessionem, quæ vocari solet *remedium*, seu *beneficium flebile*. Sunt autem hic personæ privilegiatae, mulieres honestæ, miles armatae militiæ, Nobiles, & Illustres, item in dignitate constituti, ut Doctores, Professores, ac Clerici gaudentes privilegio fori, de quibus vide Haunold. cit.

605. Nota. 3. si quis, esto non sit privilegiatus, jurejurando affirmet, quod ad solvendum nihil reliquum habeat, nec suā culpā, sed adverso aliquo casu ad talem inopiam redactus sit, eum non posse cogi, vel ad carcerem, vel ad bonorum cessionem. Novellâ. 135.

606. Not. 4. hoc beneficium juris, quantumvis flebile, quibusdam negari. I. ius, qui

ex delicto debent. L. generaliter ff. de pœnis. 2; qui bona sua in fraudem creditorū alienârunt. l. i. ff. de dolo. 3. qui bona sua prodigè consumserunt, & scientes, se non esse solvendo, æs alienum contraxerunt. l. Fulcinius. §. i. ff. quibus ex causis in possessionem eatur.

607. Not. 5. cum, qui cogitur bonis cedere, sic, ut nihil, nisi vestis ei relinqueretur, si omnia indicaret, posse salvâ conscientiâ occultare aliqua, unde tenuem aliquem vietum habere possit. Quia leges jubentes omnia manifestari, sunt pœnales, consequenter non intelligendæ de iis, quæ necessaria sunt alimentis, quorum defectu, in extrema necessitate, etiam aliis ea surripere liceret, ut communiter docetur in tract: de præcept: Decalogi.

608. Nota 6. probabilius esse, quod hæres negligens beneficium inventarii conficiendi, si deinde non sit solvendo creditoribus defuncti, adhuc gaudeat beneficio cessionis; quia non aliter tenetur solvere, quam defunctus; sed hic tenebatur solvere potens cedere bonis. ergo.

609. Nota 7. si filius familias cogatur bonis cedere, cum non posse adventitiis cedere, quoad proprietatem, si ususfructus sit penes Patrem. Nam cessio non sit in bonis, quæ alienari non possunt. Nam in his executio fieri non potest, qui est finis cessionis: at ille sine consensu Patris adventitia quoad proprietatem

tem alienare non potest. L. fin. §. *filiis autem.*
C de bonis, que liberis. ergo.

610. Ad extremum nota, *Beneficium competencia esse privilegiū quorundam debitorū*, ut conveniri nō possint ultra id, quod cōmodē possint solvere, consequenter, quin illis relinquatur competens sustentatio. Hoc r. convenit parentibus conventis à liberis; fratri germano adversus fratrē; Socio adversus socium; Patrono adversus libertū; marito adversus uxorē repetentem dotē, ac ei, qui convenitur ob debitū ex liberalitate contractum. Idem censeo æquitate naturali competere redactis ad inopiam sine sua culpa ex casu adverso.

O. A. M. D. G.

&

B. V. M. S. M. C. H.

F I N I S.



IN-



INDEX RERUM PRÆ- CIPUARUM JUXTA NUMERUM MARGINALEM.

Alienatio.

- An potentia alienativa Domini*privativè* sumptu*pertineat ad dominium plenum?* num. 55.
An omnis alienatio domini*ponat privationem ejus in alienante?* n. 55, 60 & 67.
An, si creatura ex pacto cum Deo inito acquireret jus adversus Deum, hic à se deberet alienare aliquid sui dominij? n. 437 *remissivè*.
An dominium rei, sine consensu domini alienari possit alienatione legali? n. 281. & 328.

Antichresis.

- An sit pactum usurarium, divino & humano iure reprehobatum? n. 164
An saltem in aliquo casu licita sit? n. 169.

Bellum.

- An dari possit bellum utrinque justum formaliter, saltem ex diverso titulo? n. 18.
An hostibus erepta, in bello justo, fiant capientium? n. 245.
An erepta subdito principis, gerentis bellum defensivum? n. 246
An hæc spolia validè, ac licite vendantur & emantur? n. 246.
An homines justo bello capti fiant capientium? n. 242.
An bello justo effectus servus, licite fugiat à domino? n. 242.

Cle-

Clerici non Regulares.

- An Clerici non Regulares habeant dominium hono-
rum patrimonialium , & quasi patrimonialium ?
n. 332.
- An de his , & quo modo , licetē disponant per donatio-
nem inter vivos , & ultimam voluntatem ? n. 365.
- Quid agendum cum bonis eorum vacantibus ? n. 367.
- An sint domini fructuum Ecclesiasticorum congruae
fustentationi redundantium ? n. 344. & 354.
- Quae censeri debeat congrua illorum fustentatio? n. 361.
- An illos fructus licetē expendant in pias causas ? n. 349.
& 360.
- Quae censetur in hoc casu pia causa ? n. 360. & se-
quent.
- An si superflua de redditibus Ecclesiasticis expendant
in usus profanos, peccent ? n. 333. & 346.
- An in prædicto casu peccent contra iustitiam , & cum
onere restituendi ? n. 339.
- An consuetudo, illos expendendi in usus profanos, ha-
beat vim legitimæ præscriptionis ? à n. 351.
- An divisione beneficiorum extinctum sit antiquum
jus pauperum ad suam portionem de fructibus Eccle-
siasticis ? à n. 340. & seq.
- An liceat ex his conferre aliquid in suos consanguine-
os ? n. 360.

Dominium.

- Quid sit Dominium plenum, seu perfectum ? n. 45.
- Quid imperfectum ? n. 85.
- An in instanti translationis dominium solūm extrin-
secè, & incompletè sit in donante ? n. 62.
- An solum dominium radicale, & reflexum ? n. 65.
- An sufficiat illud immediate fuisse prius ? n. 60. & 76.
- An necessariò sit penes utrumque ? à n. 56.
- An, & quo modo dominium rerum temporalium con-
sistat cum voto paupertatis Religiosæ ? n. 369.

Qui-

Quibus modis acquiratur dominium rerum naturâli-
berarum? n. 241. Hominum? n. 242.
Rerum belli? n. 245. Rerum inventarum? n. 247.
Thesauri? à n. 247. Bonorum derelictorum? n. 256,
Bonorum vacantium? n. 260.
Bonorum incertorum? n. 257.
An, & quomodo aequiratur dominium rerum *plantae*
zione? n. 263, *Formatione*, & *specificatione*? n. 264.
Procreatione, & *satione*? n. 267. *Fruitione* perceptione? à
n. 193. *Alluvione*, & *Vicinitate* n. 268.
Commixtione, & *Conjusione*? n. 272. *Usucapione*, & *Præ-*
scriptione? à n. 274. Quomodo inventione? à n.
247.

Emphyteusis.

Quid sit Emphyteusis? n. 122. quo modo differat à Feu-
do? *eodem*
An per Emphyteutæ professionem in Religione bono-
rum capaci transeat ad monasterium? n. 129.
An eo casu transeat solum revocabiliter? n. 131.
An, si constituta sit cum clausula, ne transeat in Eccle-
siam? n. 134.
An in dato casu monasterium debeat laudemium do-
mino directo? n. 142.
An in casu Emphyteusis ad monasterium devolutæ post
professionem? n. 144.
Qui censetur *novus* Emphyteuta? n. 139.
Quando successor in Emphyteusi teneatur ad petendam
investituram? n. 122.
Quando ad pendendum laudemium? à n. 135.
An, & quando Emphyteuta jus suum alienans cadat in
commissum? n. 123.
An, & quando sit obligatio canonis? n. 126.
Quæ sit ejus quantitas? & quo tempore solvendus? *eo-*
dem.
An poena commissi nascatur solum ex non soluto ca-
noni? n. 127. *ment.*

An

An hæc in conscientia debeatur ante sententiam judicis? n. 125. & sequent.

Quæ conditiones præmittendæ alienationi boni emphyteutici? n. 123.

An committatur, illis non præmissis, si alienatio non fiat *pretio*? n. 124 an si alienetur, non secutâ traditione *eodem*. An si cum traditione, sed mox redempta? n. 125

An, & quomodo excusat à pœna commissi moræ purgatio? n. 127.

Episcopus.

An Religiosus in Episcopum electus liberetur à voto paupertatis? n. 389.

An à Prælatis Episcopo inferioribus prescribi possint jura episcopalia? & quæ? n. 329. & seq.

Error.

Quid sit error justus, & justissimus? quid injustus? n. 241, quid error facti? quid juris? n. 2. 8. 7. Quid error juris clari, & obscuri, seu dubii? *eodem*. An, & quo modo juris error noceat prescribere volentibus? n. 288, & sequent. *cum*, n. 291.

Fides.

Quid sit bona? quid mala? quid dubia fides? n. 207.

Quid *justa* theologicè? quid juridicè? n. 286.

Quid operetur bona fides in possessore rei alienæ? V.
Possessor.

An possessio bonæ fidei deperdatur litis contestatione? n. 212. & sequent.

An, & quomodo bona fides necessaria sit ad prescriptiōnem legitimam? à n. 185.

An elidatur superveniente dubio? n. 293. 296. 309.

Quid operetur bona, vel mala fides authoris respectu successoris tam universalis, quam singularis? n. 297.

Fructus.

Qui sint fructus mercæ industrie & cui cedant? n. 193.

Quid naturales, & industriales seu mixti? n. 194.

Ex quo tempore fructus legati debeantur legatario? n.
347.

Quomodo possessor bonæ, malæ, vel dubiæ fidei, suos
faciat, aut restituere debeat, fructus alienæ rei à se
possessæ? V *Possessor.*

Quid veniat nomine fructuum in deductione expensa-
rum? n. 234.

Fur.

An fur teneatur ad restitutionem rei, quæ apud ipsum
periit casu fortuito? n. 220.

An si absument, certus simili casu perituram apud do-
minum? n. 221.

Quid si non absument, sed conservet? eodem.

Quid si fructus rei percipiendos nec ipse percepit? n. 224.

An, ex Quomodo res furtivæ restituendæ? à n. 589.

Hæreditas, Hæres.

Quo tempore inspiciatur quantitas hæreditatis? n.
185.

Quid veniat nomine hæreditatis, gravatæ restitutione
fidei commissaria? n. 178. & 185.

An augmentum hæreditatis post mortem, accrescat
legitimæ? n. 186.

Quid si hæreditas sit major legitimâ vivo patre acceptâ? n. 188.

An in prædicto casu hæredes defuncti teneantur supple-
re quantitatem legitimæ? n. 189.

Quid si prius cessit cessione non juratâ? n. 188.

Quid si cessione juratâ? n. eod.

Quis dicatur hæres fiduciarius, & fideicommissarius? n. 176.

An filius universalis fideicommissio gravatus, præter le-
gitimam licet ducat quartam Trebellianicam? n. 177

An hoc procedat etiam de jure civili, esto gravatus sit
pure? n. 178.

Jurisdictio.

Quomodo jurisdictio gubernativa differat à jure proprietatis? n. 5.

An cuilibet illam habenti, conveniat jure stricto? eodem.

An & quæ jurisdictio superioris praescribi possit ab inferiori? n. 283. & 329.

Jus.

Quid veniat nomine juris activè sumpti, prout est objectum justitiae commutativa? n. 1. & 9.

An essentialiter dicat ordinem ad commodum entitativum? n. 4.

An, & quot modis constituatur favore legis, aut patrum legitimis? n. 16. 19. & 26.

An amplitudo juris mensuretur ex favore legis constitutivæ juris? n. 25. 26.

An bene restringatur ad facultatem licite non impedibilem ab alio? n. 11.

An ad solos actus lege permisso? n. 23.

An extendatur ad actus oppositos legi usum præcisè, vel prohibenti, vel annullanti? n. 21. 23. 49.

Quomodo differant ius in re, & ius ad rem? à n. 39.

Quid veniat nomine juris passivè sumpti? à n. 31.

Quomodo debitum justitiae differat à debito aliarum virtutum ad alterum? à n. 34.

Justitia.

Quid iustitia late, quid strictè sumpta? n. 394.

Quæ ejus divisio? n. 395. an hæc divisio sit in partes subjectivas, vel potentiales? n. 411.

Quid sit Justitia legalis? n. 395. an sit virtus generalis, vel specialis? n. 396. 398. an detur in Deo formaliter? n. 399.

Quid sit iustitia vindicativa? n. 395. an sit virtus specialis? n. 400. an detur in Deo formaliter? n. 304.

an sit justitia strictæ ? n. 401. an unus idemque actus possit esse justitiæ vindicativæ , & commutativæ ? n. 403.

Quid sit justitia distributiva ? n. 395. an sit essentialiter ad plures absolute ? n. 407. an ejus violatio pariat obligationem restituendi ? n. 410.

Quid sit justitia commutativa ? n. 395. an sit justitia strictæ ? n. 412. quas exigat conditiones ? n. 412. remissivæ. an detur in Deo formaliter ? n. 437. remissivæ. an ejus obligationi satisfieri possit per actum non elicitum ex proprio illius motivo ? n. 413.

An eidem debito adhiberi possit multiplex solutio adæquata ? n. 415.

An creatura possit exercere actum strictæ justitiæ , vel injuriæ erga Deum ? n. 428.

An omne peccatum grave sit stricta injuria contra Deum ? n. 432.

An volenti possit fieri injuria ? n. 441.

Laudemium.

Laudemium jure communi debetur domino directo, cùm locus vel fundus emphyteuticus transfertur in aliam personam. n. 135.

An hoc procedat in casu , quo resoluto contractu , vel pacto de redimendo resredit ad venditorem ? n. 137.

An quando non celebratur novus contractus ? eodem.

An quando inter se dividunt hæredes ? n. 138.

An cùm alienatio est necessaria ? eodem.

An in casu , quo fundum emphyteuticum quis recipit ut hæres necessarius , & suus ? n. 139.

An quando successor non est emphyteuta novus ? n. 139.

An quando per professionem emphyteutæ ex consequentia personæ transit ad monasterium ? n. 152.

An cùm post professionem devolvitur ad monasterium ex hæreditate paterna ? n. 144.

Quid in his casibus jure Styriæ ? n. 141.

An hoc ipso, quod filii, vel nepotes ex communione per solam divisionem recedant, sine interventu venditionis? eodem.

Legitima.

- An filius accipiat legitimam jure proprio? n. 179.
Quid jure novo veniat nomine legitimæ? n. 184.
An legitima veniat in hereditate obnoxia restitutio-
ni fidei commissariæ? n. 178.
An gravari possit? 177. 184.
An legitima augeatur, cum augentur bona defuncti?
n. 186.
Quid si filius accepit legitimam vivo Patre cum jura-
mento non exigendi plus deinceps? n. 183.
Quid si cum cessione non jurata? eodem.
Quid si vivo Patre accepit legitimam, dissimulatā quan-
titate bonorum, longè inferiorem? n. 189.
An licet agat ad Falcidiam, si legitima obvenit minor
debita ob multitudinem legatorum? n. 190.

Litis contestatio.

- An possessor rei alienæ per solam litis contestationem
desinat esse in bona fide, ut rei fructus faciat suos?
n. 211.
An, ut prescribat tempore ordinario? n. 215. 217.
An cessione actoris lite peremptâ casset mala fides ex
litis contestatione presumpta? n. 214.
An litis contestatione civiliter interrupatur prescri-
ptio? n. 315.
An censetur civiliter interrupta fuisse per litis conte-
stationem, si postea Actor succubuit? eod.

Majoratus.

- An possessor majoratus habeat plenum dominium?
n. 452. in quibus gravetur? eodem.

Monasterium.

- An monasterium bonorum in communi, & successio-

nescapax, per professionem religiosam, ipso facto succedit in omnia iura, & bona sui professi, de quibus ante non disposuit ? n. 105.

An hæc translatio indigeat insinuatione, si excedat summam leges taxatam ? n. 391.

An confectione inventarii ? eodem.

An in premisso casu monasterium succedat ut hæres ? n. 111. vel acquisitione naturali, & per consequentiam personæ ? n. 106.

An tunc sui professi nomine retineat omnes qualitatis filii, & agnationis ? n. 106.

An tunc bona professi recipiens, habeat illa non ratione sui, sed ratione personæ in ipsum translatæ, quamdiu hæc naturaliter vivit ? à n. 140.

An ususfructus per professionem ususfructuarii transeat in monasterium ? n. 104.

An tali casu ususfructus sit novus ? n. 120.

An emphyteusis per professionem emphyteutæ transeat in monasterium ? n. 129.

An in hoc casu monasterium debeat laudemium ? V.
Laudemium.

An tali casu fiat mutatio personæ ? n. 150.

An in casu paternæ hereditatis ad professum devolutæ post professionem, monasterium stet ut hæres suus ? n. 144.

Quo sensu verum sit, monasterium haberi loco filii ? n. 157.

An si profiteatur gravatus substitutione, per professionem excludatur substitutus ? n. 392.

Negligentia.

An, & quæ negligentia constituat culpam juridicam ? n. 473. an damnum datum cum culpa juridica, sed sine culpa Theologica, extra contractum, & officium, naturaliter obliget ad resarcendum damnum ? n. 474.

Quæ negligentia in solvendo canone inducat poenam commissi ? n. 127.

Quid

Quid, si intervenit in officio, vel contractu? n. 528. & seq
Odium.

An, & quo sensu, verum sit, quod Deus odisse possit peccatorem eo instanti, quo actu condonat peccatum? n. 70.

Pactum.

An pactum antichresios, & legis commissoriæ, pignoribus adiectum sit usurarium, & illicitum? n. 164. 174. Sed cum quadam limitatione. n. 165, 175.

Paupertas Religiosa.

An paupertas religiosa solemniter professa regulares non conjugatos reddat incapaces dominii in persona particulari? n. 368.

An etiam in tota communitate? n. 369.

An hoc habeat ex natura voti solemnis solemnitate substanciali, vel solâ Ecclesiæ constitutione? n. 154. 374. 390.

An cum voto paupertatis voventem æquè verè, ac propriè constitente Religiosum, ac alios professos, stet dominium rerum temporalium in persona particulari? n. 376.

An dicens oppositum, ipso facto subjaceat excommunicationi latæ sententiae? n. 378.

An dicere, ejusmodi voventem esse religiosum solo privilegio, & non æquè verè, & propriè, ac sint alii paupertatem solemniter professi, subjaceat iisdem pœnis? n. 378.

Quotuplex sit proprietas, quam excludit religiosa paupertas? n. 371.

An proprietatem sitam in usu independente à superiorum voluntate, excludat religiosa paupertas ex natura voti religiosi? n. 373.

An etiam illam, quæ est proprietas dominii? n. 373,

An usus rerum temporalium purgetur à vitio pauper-

tatis contra votum, legitimo consensu superioris legitimus? n. 382.

An etiam consensu tacito? n. 383.

An sola superioris taciturnitate? n. 384.

Quis ad hoc censeatur superior legitimus? n. 387.

An censeatur concessa facultas acceptandi ex eo, quod alteri detur licentia dandi? n. 388.

An religiosus in Episcopum electus liberetur a voto paupertatis? n. 389.

Pignus.

Quid sit, & quotplex? n. 159. an possit constitui in re aliena n. 160.

An pignorarius extra casum satisfactionis sibi praestanda licet utatur pignore? n. 161.

An sit usura vi pacticis pignoribus adjacti, percipere fructus pignoris vel hypothecae, nec computare in sortem? n. 164. aut in casu non redempti pignoris, vel hypothecae, hanc retinere ut commissam, esto excedat quantitatem sortis? n. 174.

Possessio.

Quid, & quotplex sit possessio? a n. 191. quo modo acquiratur, & amittatur? n. 192.

An, & quae necessaria sit ad præscriptionem legitimam? n. 285. 313.

An possessio temporis longissimi stet loco tituli ad præscribendum necessarii? n. 307. 309. 312.

An probans longævitatem suæ possessionis, sufficienter probet titulum possessionis? eod.

Quot modis ejusmodi possessio interrumptur? a n. 314.

Quomodo probetur possessio continuata? n. 315. V.
Litis contestatio, Præscriptio.

Possessor.

Quis dicatur possessor bonæ, quis malæ, quis dubiæ fidei? n. 207.

An possessor bonæ fidei fructus rei alienæ sic possesse, & mixtos, seu industriales, & naturales faciat suos? n.
194.

An etiam, si rem possideat titulo solum lucrativo? n.
195. & seq.

An hoc procedat etiam post contestationem litis postea evictæ? n. 211.

An licet rei in reat fructus perceptos ante rei evictionem?
n. 207.

An per instantiam litis inquietatus, sed lite ob cessationem actoris perempta, impediatur, quo minus deinceps fructus rei possesse faciat suos? n. 214.

An ubi agnoverit rem esse alienam, teneatur restituere fructus perceptos, & absumptos ante litis contestationem, & evictionem? n. 207.

An perceptos & absumptos tempore litis contestatae & postea evictæ? n. 214.

An, si extent solum in æquivalenti, & quos? n. 205.

An in casu facienda restitutionis licet deducat expensas, & quas? à n. 234.

Ad quid teneatur possessor malæ fidei? n. 215.

Quid in casu, ubi res apud possessorem malæ fidei perit? n. 219.

An teneatur etiam ad fructus non perceptos sed percipiendos? n. 224.

An licet deducat expensas, & quas? n. 234.

Ad quid teneatur possessor dubiae fidei? n. 225.

Præscriptio.

An, & quo modo differat ab usucapione? n. 274. quis eius effectus? n. 275. An habeat vim adimendi dominum etiam sine voluntate domini? n. 281. an procedat etiam in foro poli? n. 275,

An sine bona fide incipiat vel procedat? n. 292.

An debeat esse iusta non solum theologice? n. 292. sed etiam juridice? n. 255.

An

- An præscriptioni noceat error juris justus, vel justissimus? n. 291.
- An dubium in principio? n. 295. 296, an superveniens bene coeptæ? n. 296.
- An bona fides auctoris profit successori tam universalis, quam singulari? n. 297.
- Quid de mala fide auctoris respectu successoris singularis? n. 299 quid respectu hereditis immediati? n. 301. Quid respectu mediati? n. 302.
- An ad omnem præscriptionem requiratur aliquis titulus? n. 306.
- An in præscriptione temporis longissimi sufficiat titulus præsumptus? n. 308. 312.
- An hunc fundet longævitas temporis? n. 308.
- An simpliciter, an cum aliqua limitatione? n. 293. 309.
- An titulus coloratus semper sufficiat? n. 110.
- Quis titulus sufficiat in præscribendis servitutibus realibus? n. 311.
- An præscriptio procedat sine ulla possessione? n. 313. An haec debeat esse continua? n. 314. quo modo ejus continuatio probetur? n. 315.
- Quot modis interrumpatur? n. 314. & seq.
- An interrumpatur civiliter solâ litis contestatione? ibidem.
- An etiam in casu, ubi auctor succumbit? ibidem.
- Quodnam sit discriminem inter interruptionem naturalem, & civilem? ibidem.
- Quantum temporis possessio requiratur præscribendis mobilibus privatorum? n. 316. Immobilibus eorumdem? n. 318. Et Ecclesiistarum Romanâ inferiorum? n. 319.
- Quo tempore præscribantur servitutes? n. 319. bona vacantia? n. 323. actiones, & obligationes? n. 324. quo modo computandum tempus præscriptionis? n. 326.
- Qui præscribere possint? n. 327.
- Contra quos præscribi possit? n. 328.

An præscribi possit dominium directum immobilium?
n. 283. An jurisdictio superioris ab inferiore? n.
283. 329. an omnia sint simpliciter præscribilia? n.
283.

Professio Religiosa.

An professio religiosa in religione honorum in communi,
& successionis capaci æquivaleat morti naturali?
n. 117. 149. An civili, & quoad omnes effectus
juri? n. 149. quo sensu verum sit, quod talis professus
censeatur mundo mortuus? *ibidem*.

An in professo extinguat jura suitatis, & agnationis?
n. 106.

An ex natura rei excludat à professo capacitatem do-
minii? n. 374.

An professione religiosa hæreditis gravati excludatur
substitutus? n. 392. Quid in Societate JESU? n. 393.
V. emphyteusis. Laudemium. Legitima. Monasterium.
Pauerpas religiosa.

Quarta Trebellianica.

An filius universalis fidei commissio gravatus, praeter le-
gitimam licite deducat quartam Trebellianicam, &
quo jure? à n. 177.

Restitutio.

An restitutio strictè sumpta supponat laesum jus alie-
num? n. 448. An sit juris naturalis? n. 447.

An præceptum restituendi sit priè positivum, vel nega-
tivum? n. 447.

An obligatio naturalis restituendi nascatur ex sola re
accepta, & injusta acceptione? n. 456. secundum
quem rei valorem restitutio facienda? n. 455.

An damnum grave datum sine culpa theologica gravi-
ter obliget ad restitutionem totius? n. 474.

An, si grave damnum datum sit per acceptiones minu-
tas ita, ut nec in acceptione, nec in absumptione
peccatum sit graviter? à n. 509.

Quid, si vel in principio intendit pervenire ad summam gravem? n. 498. Vel ante ultimā acceptiōē ad-
vertit, si hæc fiat, complendum grave dānum? n.
501.

An, & quo modo facienda sit restitutio ex re accepta?
n. 461.

An, & quo modo ex iustā acceptiōē? n. 473.

An, & quo modo ex culpa in officio? n. 528.

An, & quo modo ex culpa in contrāctu? n. 530.

An, & quo modo ex dāmo dato per errorem? n. 540.

An, & quo modo propter acceptiōē munerum? n.
576.

An, & quo modo ex positiva cooperatione ad dānum?
n. 547. Jussione? n. 548. Consilio? n. 552. Iniquo
consensu, seu suffragio? n. 560. Palpatione? n. 568.
Recursu? n. 569. Participatione? n. 572.

An, & quæ sit obligatio restituendi ex dāmo dato per
cooperationem negativam? n. 572.

An, quis sit rem ex falso fundamento, vel præsumptio-
ne sibi adjudicatam à judice, licetē retineat? n. 278.

Ex quibus causis liberētur ab onere restituendi? n. 588.

An cessione bonorum? n. 599.

Statutum.

An valeat statutum excludens à parentū successionē
filium religionem ingressum? n. 108.

Tempus.

An in præscriptione possessio temporis longissimi sit lo-
co tituli? n. 307. 309. 312.

Quale tempus sufficiat præscriptioni rerum mobilium,
vel immobiliū, ? V. Præscriptio. Quodnam sufficiat
inter præsentes, quodnam inter absentes? à n. 317.

Quo modo tempus præscriptioni necessarium sit com-
putandum? n. 326.

Titulus.

Quid, & quotuplex sit titulus? à n. 306.

An

An ad præscriptionem temporis ordinarii requiratur aliquis titulus? n. 306. 308. An sufficiat existimatus? n. 308. An ad omnem sufficiat titulus coloratus? n. 310. An in præscriptione temporis longissimi sufficiat titulus præsumptus? n. 308. 309, 312.

An ad præscribendas servitutes reales sufficiat scientia, & patientia domini? n. 311.

An possessor bonæ fidei, ex solo titulo lucrative, fructus rei faciat suos? n. 195.

Votum.

An votum solemne, & simplex differant ex natura rei, seu essentialiter? n. 374.

An Pontifex causa boni publici validè, & licetè dispenset in votis solemnibus, etiam religionis? n. 375. 390.

Ususfructus.

Quid sit Usus, & ususfructus tam causalis, quam formalis: n. 76. 87. quis legalis, quis conventionalis? n. 95.

An ususfructus formalis quandoque constitui possit in re, quæ usu absuntur? n. 93.

An Usufruarius inconsulto domino directo alienare possit usumfructum? n. 98. Vel saltē ejus commeditatem? n. 99.

Quo modo finiatur? à n. 101.

An extinguatur religiosa professione usufruarii? n. 104. 113. An si tali casu transcat in monasterium, ususfructus sit novus? n. 121.





ERRATA SIC CORRIGE.

- Num. 117. incapacam, lege, incapacem.
N. 153. qua. l. quo.
N. 154. exipso. l. eoipso.
N. 209. scivit, l. sevit.
N. 218. locò. 118. l. 218.
N. 241. factum. l. factam.
N. 366. constituit, l. constituti.
N. 367. intestatio. l. intestato.
N. 393. Peobationis. l. Probationis.
N. 407. in fine, quam. l. quem.
N. 465. alienōdo, l. alienando.
N. 502. moraliter, l. mortaliter.
N. 541. qua. l. quæ.
N. 587. obnoxium, l. obnoxiam.



CON-



CONCLUSIONES EX RE- LIQUIS THEOLOGIÆ PARTIBUS.

DE DEO UNO.

DE nomine intelligimus ens optimum in omni linea puræ perfectionis. Ejus existentia per se nota est quoad se ; quoad nos per ea, quæ facta sunt. Illius essentia non constituitur ullo Dei prædicato solitariè sumpto : sed omni & solâ purâ perfectione per se æstimabili. Independenter à nostris conceptibus, non datur ulla distinctio inter perfectiones Dei vel absolutas, vel relatives, nisi quam fides docet, personalis, mixta identitate essentiali extremorum.

CLara, & intuitiva Dei visio defactò datur in beatissimis. Est intrinsecè supernaturalis ; & essentialiter ac ab intrinseco destruibilis. Hinc repugnat visio, quæ reflexè de se judicet, se æternum duraturam ; aut titulo connexionis cum decreto Dei libero, ab intrinseco petat non deficere. Non omnes videntes Deum vident ipsum æqualiter. Hæc visionum inæqualitas remotè oritur ab inæqualitate meritorum ; proximè , ab inæqualitate principiū elevantis.

AD inæqualitatem visionum nihil confert formaliter inæqualitas intellectum Beatorum. Defactò ad videndum Deum beatificè requiritur lumen gloriae : est qualitas permanens ; neque aliud re ipsa à specie impressa DEI. Suppleri potest absolute per extrinsecum concursum DEI. Efficienter influit in visionem simul cum intellectu Beati. Non est tota ratio agendi , intellectu nihil efficienter cooperante. Oculus corporeus elevari nequit ad videndum Deum.

Essentiale objectum visionis beatificæ, est Deus, prout
est in se. Beati, creaturas, quas vident, vident in
Verbo; possibles vident formaliter; existentes causa-
liter. Nec prædicata Dei absoluta sine absolutis; nec ista
sine relativis; nec una relatio sine altera videri potest
ex parte objecti. Deus respectu cuiuscunque intellectus
inferioris Divino incomprehensibilis est. Repugnat e-
tiam distincte & discernibiliter in Deo videri omnia
possibilia, secundum omnem eorum combinationem
possibilem, visione creatâ.

Essentia divina, neque in ordine ad intelligendum
se, neque in ordine ad intelligendum alia à se, respe-
ctu divini intellectus habet rationem speciei intelli-
gibilis; aut motivi propriæ diæti. Datur nihilominus in
Deo scientia perfectissima, non modò pure necessaria, &
pure contingens; sed etiam inter utramque media; cu-
jus proprium est, attingere contingentia vera, sub con-
ditione, independenter ab omni decreto Dei libero,
existente actu.

Futura libera, quæ talia sunt, respectivè ad suas cau-
sas, non videt Deus in eorum causis proximè dispo-
situm ad agendum; non in divina essentia secundum se;
non in reali eorum præsentia ad æternitatem Dei, tan-
quam in mensura aliena: nec in decreto prædetermi-
nante: videt autem ea immediatè in se ipsis. Condi-
tionatè vera sub conditione indifferente, seu condu-
cente, seu disparata (uti & decreta sua libera, quæ ha-
beret sub certa hypothesi) videt per scientiam medi-
am.

Certum est in Deo dari perfectam libertatem indiffe-
rentiæ, non quidem potentia ad actum: sed actus
ad objectum. Divina volitio non est Deo libera liberta-
te propriæ actus secundi. Denominatio tamen libera
volentis hoc objectum, non est Deo adæquate intrin-
seca: nec etiam adæquate extrinseca. Hinc essentiali-
ter includit applicationem divinæ volitionis ad obje-
ctum; ea porro est aliquid creatum temporale.

BEATIS efficaciter decerni gloriam, ut coronam, independenter à præscientia absoluta meritorum, possibile est. Illis, qui deceperunt cum merito, defacto datur gloria non solum ut hereditas; sed etiam ut corona strictæ justitiae. Prædestinatio ad gloriam defacto facta est, independenter à præscientia absoluta meritorum; reprobatio verò positiva, post absolute prævisa demerita. Prædefinitio actus independens à scientia media, non cohæret cum libertate actus.

DE DEO TRINO.

IN unius singularitate substantiæ habeti tres personæ litates in divinis, realiter inter se distinctas, fides docet. Earum quælibet est pura perfectio, & in sua linea simpliciter infinita. Datur in Deo intellectio & volitio notionalistam activa, quam passiva. Solâ notione passivâ Verbum habet, quod procedat à Patre in similitudinem naturæ productam. Et ideo secunda in Trinitate Persona est eō Filius, quō Verbum.

Verbum procedit à Patre per cognitionem comprehensivam Dei & totius Trinitatis; Spiritus sanctus per amorem ejus necessarium. Principium quo productivum in divinis, sunt notiones activæ: in Patre scilicet respectu Filii, intellectio; in Patre, & Filio respectu Spiritus sancti volitio notionalis. Stando in hypothesi Græcorum, si Spiritus sanctus esset Persona, nec procedens à Filio, nec producens illum, via illationis formalis non distingueretur ab illo.

DE ANGELIS.

DANTUR Angeli. Sunt puri Spiritus; essentialiter simplices; natura suâ intellectivi, & incorruptibiles, partim specie, partim numero differentes. Sunt propriæ in loco, durantævo, realiter distincto ab ipsorum substantia. Loquuntur voluntaria missione sp̄cierum. Possibile est, quod inferior naturaliter comprehendat superiorē.

PRIMO instanti suæ creationis fuerunt physicè peccabiles. Non sunt naturâ suâ inflexibles in decretis suis. Acceperunt gratiam sanctificantem, dependenter à sua dispositione libera: probabilius inæqualem juxta inæqualitatem naturæ. Mali peccârunt peccato superbiæ; & torquentur ab igne infernali per qualitatem objectivæ disconvenientem eorum naturæ.

DE ACTIBUS HUMANIS.

BEATITUDO hominis objectiva, & essentialis est solus Deus. Formalis in Beatis non est sola visio, sed etiam gaudium amicabile de summo Bono clare viso, cum securitate suæ nunquam desitutæ felicitatis. Voluntarium debet esse ab intrinseco cum cognitione finis, Possibile est voluntarium liberum sine omniactus positivo, efficaciter inferente carentiam actus.

MORALITAS formalis humanorum actuum, est actibus semiextrinseca. Essentialiter includit libertatem actus; & excludit principium physicè prædeterminans. Etsi verum sit in dubiis negative tutiorem partem esse eligendam ex obligatione; secùs tamen est in dubiis positivè. Hinc sequi opinionem prædictè probabilem, etiam relictâ probabiliori, in praxi tutum est.

DE PECCATIS.

PECCATUM Theologicum est libera transgressio æternæ legis. Peccatum merè philosophicum possibile est. Peccatum grave Theologicum est malitiæ finitæ, sed offendit simpliciter infinitæ, non in omni, sed in certo solùm genere. Nullum peccatum meretur omnem poenam possibilem; aut remitti potest, dum actu fit. Veniale nec per accidens meretur poenam æternam.

MALITIA peccati commissionis consistit formaliter in positivo; perseverat habitualiter per carentiam condonationis, & condignæ satisfactionis applicatae subiecto. Peccantem Deus non prædeterminat hyspice ad

ad materiale peccati ; & si sic prædeterminaret ad hoc
esset propriè author peccati.

DE GRATIA AUXILIANTE.

Gratia auxilians, strictè, seu Theologicè accepta,
est donum intrinsecè supernaturale, ac animæ in-
hærens, quo ipsa ad actus positivè salutares, & supra
naturam constitutos, potens redditur, ac juvatur.
Non est contra formalitatem doni gratuiti, seu inde-
biti, essentialè gratiæ, dari ex merito, nisi solius ar-
bitrii, & naturæ. Prima gratia excitans affectivè con-
stitui non potest in affectu indeliberato & efficaci.

Ad omnem actum positivè salutarem necessaria est
gratia auxilians strictè sumpta. Si esset physicè præ-
determinans, everteret libertatis usum. In statu na-
turæ laplæ datur gratia purè sufficiens; hæc in recto
non differt intrinsecè ab efficaci. Efficacia gratiæ, sum-
pta pro infallibili, & infrustrabili illatione nostræ ope-
rationis habetur formaliter per entitatem auxilii ex se
indifferentis, existentis absolutè, & futuritionem bo-
ni usûs, sub ejus conditione.

DE GRATIA JUSTIFICANTE.

Ad remissionem peccati mortalis ex natura rei ne-
cessaria non est infusio gratiæ justificantis. Sola ejus
entitas physica, unita subiecto capaci vi suâ intrinsecâ
præstare potest effectum formalem justi, sancti, & amici
Dei, quin egeat beneficio extrinseco divinæ voluntatis,
distincto ab illa qualitate, tanquam partiali causa for-
malis. Metaphysicè incompositibilis est in eodem subiecto
cum peccato mortali. Est unica & adæquata causa for-
malis nostræ justificationis.

DE MERITO.

Meritum non necessariò est in utilitatem præmian-
tis. Non postulat essentialiter statum viae; respectu

præmii supernaturalis debet esse in entitate supernaturale. Major gratia, cœteris paribus significat ad majus præmium. Merita conditionatè futura non possunt causare præmium absolute conferendum, nisi purifetur conditio. Prima gratia quoad substantiam non cadit sub meritum, Principium meriti non inclusum in merito, nec ad id essentialiter prærequisitum, potest cadere sub meritum,

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS IN GENERE.

ESSentialis differentia virtutis Theologicæ à non Theologica in eo stat, quod Deum, aut perfectionem aliquam divinam habeat pro objecto *quod & propter quod*. Non omnis virtus infusa est virtus Theologica. Virtutes infusæ, tum Theologicæ, tum morales, sunt causa physica suorum actuum, quos elicit justus, etiam in instanti urgentis præcepti; nec lèdunt libertatem actus, et si gratia sanctificans præsupposita in operante sit essentialiter incompossibilis cum offensa Dei, vel omissione libera actus præcepti.

Virtutes infusæ augentur non suis tantum, sed etiam alienis actibus; sed activitate solum meritoria: repetitione autem actuum acquiritur habitus supernaturalis, etiam facilitans, qui amittitur amissione habitu infuso; & amitti potest illo non amissio. Virtutes infusæ non habent connexionem essentialiæ, aut ex natura rei, seu naturalem cum gratia; nec essentialiæ aut naturalem repugnantiam cum offensa Dei, & possunt habere motivum *ut quod* mere naturale, non *ut quo*.

DE FIDE.

Fides Divina, quæ est virtus Theologica pro materiali objecto habet omnem veritatem revelabilem à Deo; pro formalí summam Dei revelantis Sapientiam & veritatem. Implicat veritas à Deo scibilis, & ab intrinseco irrevelabilis. Revelatio virtualis, seu mediata ra-

tione objecti, aut merè apparens non sufficit ad assensum fidei divinæ. Objectum formale divinæ fidei non est aliquid adæquate divinum: hinc revelatio passiva non est mera conditio.

ASSensus divinæ fidei (quâ tendit in mysterium revelationum) ultimò, & unicè resolvitur in divinam authoritatem & revelationem ut motivum *quod*, non *utcunque*; sed ut propositam supernaturali lumine suavissimo, quod est ejus motivum *quo*. Est certior quovis actu merè naturali certitudine metaphysicæ indefectibilitatis à vero: & compossibilis cum scientia ejusdem objecti; non tamen cum prudenti formidine, vel opinione.

Mysteria Fidei, proximè credenda, debent esse evidenter credibilia. Evidentia de credibilitate objecti non est evidentia de veritate illius. Ut singulare creditur propter revelationem universalem, evidentia de singulare contento sub universalis, debet habere rationem signi de singulari. In sensu composito Divinæ illustrationis, suavissime proponentis, Deum loqui, falsum proponi non potest evidenter credibile.

Eodem imperio pio voluntatis quandoque creditur articulus verus, & falsus; sed non eodem lumine: si uterque articulus æqualiter proponatur ut revelatus, utrique debetur assensus, sed ille solum supernaturalis est, qui præstatur vero. Deus nec infundere errorrem per se, & ut causa specialis; nec patrare miraculum in confirmationem doctrinæ falsæ, stando in legibus præsentis providentiae potest; secùs est, absolute, quoad miraculum.

DE SPE.

Spes Theologica pro objecto formalis sibi vendicat indefectibilem Dei dispositionem bonam, à qua pendet consecutio rei speratæ. Ejus actus est desiderium expectativum. Revelatio absoluta, & assertoria ab homine credita, vel scientia homini infusa damnationis

futuræ, non stat eum legibus præsentis providentia; dari tamen potest absolute. È facta homo, si posset non credere, & non crederet, sperare suam salutem posset, & teneretur. Secùs, si crederet, aut non posset non credere.

DE CHARITATE.

Habitus charitatis Theologicæ principaliter fertur in Deum, propter divinam bonitatem amatam, ut convenientem Deo. Habet motivum *ut quod adæquatè* divinum: non potest elicere actus puræ fugæ: distinguitur realiter à gratia sanctificante; non influit physicè in actum contritionis pro instanti justificationis: non deperditur ex natura rei, amissâ per peccatum gratiæ. Est habitus physicè infusus, & supernaturalis.

Actus dilectionis Dei super omnia, saltem graviter displicentia Deo, præcedit justificationem nostram extra Sacramentum, ut dispositio physica. Non mereatur de condigno primam gratiam, aut gloriam. Est metaphysicè incompossibilis cum peccato gravi solùm actuali. Potest dari supernaturalis dilectio Dei ex bonitate Dei naturaliter cognoscibili, sed amata, prælucente lumine supernaturali. Non justificat formaliter.

DE INCARNATIONE.

Substantia Incarnationis in eo stat, quodd Verbum Divinum physicâ & reali unione conjunctam sibi habeat humanitatem, sic, ut in una Persona duæ naturæ, Divina scilicet & humana, verè & realiter subsistant. In Deo non datur ulla necessitas antecedens ad optimum extra Deum; unde unio hypostatica fuit Deo libera etiam moraliter; illique conveniens non tantum negativè, sed etiam positivè, convenientiâ nimirum manifestante divinam bonitatem; & afferente illi dignitatem laudis ex electione imputabilis.

Gravitas offendæ divinæ, residentis in quolibet peccato gravi theologico, condignâ satisfactione tolli

non

non potest, nisi simpliciter infinitā. Hujus infinitas pueræ creature impossibilem facit condignam, pro debito ex offensa nato solutionem. Unde simpliciter necessaria fuit Incarnationis existentia; non absolutē, sed ex suppositione, quod tollendum esset peccatum viā condignae satisfactionis pro offensa Dei, vel viā condigni meriti ad perfectam æqualitatem.

Unio hypostatica modaliter distinguitur ab extremitatibus. Est corporea, supernaturalis intrinsecè, & substancialis entitativè. Est Verbo extrinseca subjectivè, intrinseca terminativè: immediatè, & formaliter facta, non in aliquo Dei praedicato absoluto, sed in relativo notionali, seu personalitate Verbi. Est ratione sui, simpliciter incompossibilis cum peccato, & potentia proxima peccandi. Non sanctificat *ut quod*.

Christus defactò decretus est ut Redemptor formaliter, independenter à præscientia absoluta peccati. Decretū hoc de Christo quo ad substantiam fuit absolutum, efficax, & determinatum; quo ad circumstantias, & causas Christi productivas, disjunctivum. Defactò venit in remedium, non solum originalis, sed etiam actualium peccatorum. Si Adam non peccasset, Verbum vi præsentis decreti, caro factum non esset,

VAlor operum Christi non modo satisfactorius, sed etiam meritorius est simpliciter infinitus non à re oblata, sed à dignitate Verbi. Hinc ejus opera ab intrinseco habuerunt non modo sufficientiam in actu primo ad extinguendum omne debitum peccato contractum; sed etiam superabundantiam; & si hominibus, per media à Deo statuta, pacto initio cum Christo, applicata sint, sine alia nova acceptatione extinguunt offenditam Dei ab hominibus commissam. Si Christus defactò pro aliquo peccato non satisfecit ex stricta justitia, fuit solum defectus materiæ.

Si loquamur de possibiliitate, & impossibilitate inter terminos præsentis decreti, & providentiae, Christus defactò meritus est suam unionem hypostaticam, quia

ratione mereri potuit; & quâ ratione illam defactò meritus non est, mereri non potuit. Non potuit autem illam mereri per merita absolute prævisa, etiam de potentia Dei absoluta secundum conceptum essentialiem, & primarium unioni hypostaticæ; potuit secundum accidentalem.

Beatissima Virgo Deipara non tantum ab ipsa labore originali: sed etiam à debito proximo illam incurriendi, ex prævisis Filii sui meritis præservata fuit. Neq; propterea à vero, & propriè dicto Redemptionis beneficio per Filii sui mortem consummato, exclusa est. Ex prævisis Christi meritis Theologicè, & propriè acceptis habet, quod præ ceteris electa sit in Matrem Dei. Fuit vera causa instrumentalis effectiva unionis hypostaticæ.

Natura assumpta à Verbo fuit simpliciter impeccabilis, tam in sensu composito, quam diviso unionis; non potuit habere unionem hypostaticam dependenter à libera omissione peccati pro eodem instanti. Fuit sancta sanctitate non solum increata, & substantiali, sed etiam creatâ, & accidentalî. Illa fuit simpliciter infinita in linea Santitatis participatæ; hæc simpliciter finita, in gradu tamen condecente Filium Dei.

Certum est ex fide, Christum obivisse mortem crucis ex obedientia. Hoc autem salvari nequit, quin Christus fuerit capax veri, & propriè dicti præcepti. Defacto habuit præceptum mortis rigorosum, & in conscientia obligans. Hoc non obstante, impeccabilitas Christi cum libertate mortis præceptæ rectè conciliatur, si absoluta existentia præcepti dependeat à libera mortis acceptatione, prævîta per scientiam medium sub conditione futuræ acceptationis, in talibus circumstantiis, esto super illa nullum extaret præceptum.

Sicut in Christo fuit duplex natura; ita etiam duplex fuit intellectus, inreatus scilicet, & creatus. Hunc triplex adornabat scientia, beata, infusa, & acquisita. Per beatam vidit Deum, non comprehendit; per infusam cognovit res naturales, & supernaturales; adeoque

que ipsam etiam unionem hypostaticam. Per scientiam
acquisitam cognovit objecta insensata solum ad instar
sensibilium, & per species alienas. Non fuit in Christo
ignorantia pravae dispositionis.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

SAcramentum in genere, sumptu significatione vo-
cis Theologie, est sensibile & infallibile signum gra-
tiae, significans ex placito Dei, & usu suo conferens san-
ctitatem proportionatam statui Ecclesiae habi presentis.
Omnia Sacraenta novae legis, prout defacto instituta,
intrinsecè constant rebus, verbis, & intentione Ministri.
Hæc esse potest conditionata, sub conditione de prä-
terito, vel praesenti, subsistente, quantumvis disparata,
& ignota.

Antiqua Sacraenta non erant signa causativa gra-
tiae; secùs nova. Horum causalitas non est physica;
sed moralis. Suscepta cum obice reviviscunt eo sublato,
excepta poenitentiæ & Eucharistiæ. Inæqualiter dispo-
sitis, cæteris paribus, inæquales conferunt gratias, ex o-
pere operato. Sacraenta vivorum, bonâ fide suscepta,
per accidens causant primam gratiam. Gratia Sacra-
mental is à non Sacramentali differt solùm extrinsecè.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

SAcramentum Eucharistiæ, quæ est Sacramentum tran-
scendit, intrinsecè constat speciebus, & formâ verbali:
quæ est res, & Sacramentum, etiam corpore, & sanguine
Christi. Non constituitur intrinsecè per actionem con-
versivam; nec per unionem physicam (quæ insit spe-
ciebus) terminatam ad corpus, & sanguinem Christi:
sed per unionem Sacramentalem, sitam in intima, &
inseparabili præsentialitate corporis & sanguinis Chri-
sti cum speciebus juxta divinam institutionem.

Forma consecrationis, salvatur in his, aut æquivalen-
tibus verbis: *hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis
mei.* Dicitur non solum historicè, sed etiam enuncia-
ti-

tivè. Verifieatur ultimo instanti prolationis verborum. Vi Verborum formaliter ea tantùm ponuntur in consecratione, quæ necessaria sunt ad veritatem formæ. In consecratione calicis, ex præcepto Ecclesiæ, vino miscendum est modicum aquæ. Hæc cum vino immediate transit in sanguinē.

DE VIRTUTE POENITENTIÆ.

Possibilis est habitus, qui ut finem amet bonum deletionis peccati, repertum, in quolibet actu honeste de testante peccatum præteritum, nondum deletum. Talis habitus est Virtus poenitentiæ specialis; & defactò datur. Est habitus pure emendativus peccati; & merè reflexivus. Non est ex conceptu suo supernaturalis. Datur tamen defacto habitus poenitentiæ specialis, infusus & supernaturalis: cujus actus justificationem præcedit solùm ut dispositio moralis; & physicè causatur à suo habitu.

Non omnis actus poenitentiæ specialis est indivisim amor, & odium formaliter: hinc potest habere actus puræ fugæ. Poenitentia naturalis, & supernaturalis non necessariò differunt motivo formalí *ut quod*. Remissio peccati fieri potest absolutè sine omni actu hominis. Non potest idem peccatum deleri scipiùs & successivè, deletione actuali, & adæquatâ. Merita per peccatum mortificata, per subsequentem poenitentiam reviviscent, cum tota gratia præexistente.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Sacramentum poenitentiæ est Sacramentam reconciliationis cum Deo post lapsum, in actibus poenitentis, & absolutione Sacerdotis per modum judicii consistens. Actus poenitentis, ad valorem Sacramenti, quasi materia requisiti, sunt contritio, vel perfecta vel imperfecta, & confessio: forma verò, hæc aut æquivalentia verba Sacerdotis: *Absolvo te. Absolutio, absenti data,* Sa-

SAcramentum pœnitentiæ, lapsis post Baptismum, in peccatum grave Theologicum, vel in re, vel in voto necessarium est, necessitate mediæ. Non datur Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe defectu doloris. Si dolor sit ex motivo universalis, sufficit propositum implicitum. Omnia, & sola lethalia, quæ sunt in conscientia hominis baptizati, sunt materia necessaria hujus Sacramenti : non autem dubia : vel circumstantiæ solùm aggravantes.

O. A. M. D. G.



